# DE JOHANNE

## COGNOMINE SINE TERRA

ANGLIAE REGE

LUTETIAE PARISIORUM ANNO 1202 CONDEMNATO

THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

PROPONEBAT

CAROLUS BEMONT
Licenciatus in litteris

LUTETIAE PARISIORUM

APUD ALPH. PICARD, BIBLIOPOLAM

82, via Bonaparte, 82

1884.

# DE JOHANNE

## COGNOMINE SINE TERRA

ANGLIAE REGE

LUTETIAE PARISIORUM ANNO 1202 CONDEMNATO

## THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

PROPONEBAT

CAROLUS BEMONT
Licenciatus in litteris



LUTETIAE PARISIORUM

APUD ALPH. PICARD, BIBLIOPOLAM

82, via Bonaparte, 82

—

1884.

MEMORIAE FRATRIS DESIDERATISSIMI

## QUO SPECTET HOC OPUSCULUM.

Johannem, cognomine Sine Terra, Angliae regem [1], feodorum quae in Francia longe lateque ab Augo (gallice La Bresle) flumine usque ad Pyrenaeos montes hereditario jure possidebat, majorem ditioremque partem judicio baronum Franciae amisisse, nemo est qui ignoret. Quid autem inde evenerit, quantam et qualem utilitatem tum Francia ex partis provinciis, tum Anglia ex ereptis perceperit [2], utriusque nationis rerum scriptores, ut sua quemque seu cupiditas, seu ratio, ducebat, satis aperte exposuerunt, nec animus mihi est ad rem saepe tractatam redire. Iidem vero, dum referunt quam ob causam, quo tempore, a quibus judicibus Johannes sit damnatus, aut cum veris ficta miscuere, aut in maximos errores, mea sententia, dilapsi sunt. Quid ergo ea de re fere omnes, et gravissimi quidem auctores senserint, primum commemorare mihi visum est.

Pax quae inter Johannem Philippumque reges in loco qui hodierno nomine Le Goulet dicitur, anno 1200, mense

1. Primus Johannes « rex Anglie », non, ut antea, « Anglorum rex », vocatus est. Stubbs, *Constit. hist. of. England*, I, 553.

2. Quantum profuerint, ad augendam regis Francorum potentiam, Normannia, Cenomannia, Andegavia Pictaviaque a Philippo Augusto ejusque filio subactae, satis liquet. — Quod Angliam spectat, illa tantum Edwardi Freeman verba memorabo : « Arturi nece, inquit, Johannes has gallicas terras amisit quas Angliae intererat illum amittere ». *The Norman Conquest*, V, 701. Hoc enim pretio Magnam Chartam ceterasque libertates a majoribus suis emptas esse, nonnulli nostri temporis scriptores in Anglia praedicando gloriantur.

maio, convenerat[1], non ea fuit, prae illius desiderio amissa recuperare cupientis, hujus autem ambitione semper majora sibi acquirere cogitantis, quae diu permanere valeret; nec re diu permansit. Pacis enim infringendae occasionem quam Philippus intento animo quaerebat, ultro Johannes brevi praestitit. Nam, repudiata post duodecim annos sterilis conjugii uxore Hawisia[2], rex Angliae Isabellam Ademari Engolismensis comitis filiam tricesimo die Augusti (1200) Chinone matrimonio sibi adjunxit[3]. Quae causa omnium ei malorum postea fuit[4]. Isabella enim a patre Hugoni IX Marchiae comiti dudum fuerat promissa, et, cum ea, spes post Ademari mortem Engolismensis comitatus hereditario jure habendi data. Nec mora, Marchiae comes Hugo, fraterque ejus Radulphus, Augi comes[5], multorum Pictaviae baronum auxilio freti, arma capiunt, et de injuria sibi a feodali domino illata superiorem dominum, Philippum nempe, Francorum regem, appellant (1201). Die autem Johanni dicta, cum judicio adesse noluisset, a Paribus Franciae indignus existimatus est qui diutius ulla feoda in Francia possideret. Renovato bello, cum jam Philippus Pictavorum amicitia fulciretur, ut Arturum quoque Britanniae comitem, eumdemque Johannis ex fratre Galfrido nepotem, arctius sibi socium devinciret,

1. Delisle. *Catalogue des actes de Philippe-Auguste*, n. 604-614.

2. « Eodem anno (1200) factum est divortium inter J. regem A. et Hawisiam, uxorem suam, ...; erant enim affines in tertio gradu consanguinitatis ». Rog. de Hoveden, *Rer. gall. Script.*, XVII, 605. Confer Innocentii III epistolam; *ibid.*, XIX, 414, c. Eam Isabellam vocat (erroneously called Hawisa) Luard ap. Mat. Par. *Chronica majora*, VII, 333 (index).

3. Hoveden, *ibid.*

4. « Que copula postmodum regi et regno Anglie magno detrimento fuit ». Wendover-Paris (ed. Luard), II, 462.

5. Radulfus de Exolduno (Exoudun, non autem Issoudun); vid. Delisle, *Soc. arch. et hist. de la Charente*, *Bulletin*, 1866, et *Bibl. Ec. des chartes*, 4e série, t. II, p. 517 et 537. Hoc in loco erravit Delaborde, *Œuvres de Rigord*, etc., I, p. 207, n. 2.

generum, Maria filia data, habuit, eumque, dum ipse Normanniae, quam potissimum concupiscebat, fines ingreditur, ad occidentales provincias occupandas cum parva militum manu praemittit. Arturus autem Mirabelli a Johanne ex improviso circumventus captusque (31° die jul. 1202) in saevum carcerem conjicitur, nec multo post ipsa patrui manu interfectus Rotomagi moritur (3° die apr. 1203). Quo audito, cum Britanniae proceres in Venetorum civitatem convenissent, duos ex ipsis delectos, Petrum nempe Redonensem episcopum et Ricardum Marescallum ad Francorum regem mittere statuunt, qui rogent ut se nefarii sceleris ultorem ferat. Philippus enim, cum libenter eorum precibus indulsisset, iterum Johanni diem dicit, eumque non semel in jus nequidquam vocatum Curia Parium (nonnulli addunt *duodecim* Parium) Franciae absentem, homicidii convictum feloniaeque reum, capitis ita condemnat, ut non solum eis, quae in Francia possideret, feodis, sed etiam Angliae regno spoliaretur. Nulla igitur intermissa mora, Philippus judicatum militari manu exsecutus, non prius ab armis discedit quin totam Normanniam, Turoniam, Andegaviam, Cenomanniam, majoremque Pictaviae partem imperio suo subegerit.

Itaque idem ille annus 1203, dum Anglis in Francia dominantibus maximum detrimentum afferebat, Philippique dominium in duplum augebat, amplissimam rerum scriptoribus materiam praebuit. Ut enim arcanam Arturi mortem omittam, nonnulla sunt quae animos veterum institutorum studiosos trahant, cum alii celeberrimam illam Parium Franciae curiam, Borbonici regni ornamentum, ex ea ipsa curia quae Johannem capitis damnaverat, alii Ordines provinciae Britanniae e Venetensi concilio superius memorato originem duxisse arbitrentur. Equidem de his institutis, quamvis magni momenti sint, non, nisi quantum argumentum meum spectabit, disseram. Fueritne duplex judicium, alterum de baronum Pictaviae appellatione, alterum ob Arturi

necem factum, hoc praesertim perscrutabor. Mihi autem hoc opus peragere tentanti, investigationis materiam in tres partes ita dividere placuit ut primum authenticas chartas producerem, deinde aequalium saeculi tertii decimi auctorum historiis operam darem ; postremo quid de Venetensi concilio sit existimandum exponerem ; cujus inquisitionis ea erit summa, ut in Johannem, non duae, sed una tantum sententia lata sit ; ut Johannes, non capitis damnatus, sed feloniae reus, feodorum amissione multatus sit ; denique ut non anno 1203 ob Arturi necem, sed anno 1202 post Pictaviae procerum appellationem saevire in se Franciae barones senserit.

## § I.

### QUID DOCUMENTI CHARTAE AUTHENTICAE AFFERANT.

Quod ad litis ipsius instrumenta pertinet, estne operae pretium dicere haec aut perdita, aut potius nunquam litteris esse mandata? Quorum in loco non tamen desunt certissima monumenta quae tum ex divite Innocentii III papae epistolarum serie, cum e regali sive Angliae sive Franciae cancellaria desumpta in promptu habemus.

Quibus fortunae vicibus inter se contenderent Johannes et Philippus diligentissime animadverterat Summus Pontifex, quippe qui eodem tempore quartum bellum sacrum pararet, ideoque reconciliandis inter se christianis principibus ardentissime studeret. Cum igitur principio anni 1203 ad arma reditum est, papa nuncios in Galliam misit, qui utriusque regis animos ad pacem aut saltem ad indutias pangendas inclinarent[1]. Hi vero nihil profecerunt. Francorum enim rex Philippus papam ferocibus verbis monuit ne se hujusmodi negotiis insereret, nec in causa feodali papis ullam auctoritatem posse concedi[2]; simulque, quo majorem dictis gravitatem assereret, ad se concilium « archiepiscoporum, episcoporum et aliorum comitum », octavis assumptionis B. M. (22° die aug.) Meduntae celebrandum

1. *Epist. Innoc. III,* 26° die maii 1203, apud *Rer. gall. Script.*, XIX, 427. Potthast, *Regesta pontificum romanorum,* n. 1921.

2. *Epist. Innoc.*, 31° d. oct. 1203; *ibid.*, XIX, 441. Cf. *Annales ecclesiastici,* novae edit. t. XX, p. 151. Potthast, 2009.

vocat. Quorum autem manifesto in regem Philippum studio motus Innocentius Anagniae per litteras tum superbe, tum ambigue, tum minaciter scriptas, respondet (31° die oct.) se Philippum « de jure feudi et homine suo » lacessere minime voluisse, sed cum Philippus, propterea quod Johanni indutias concedere abnuisset, crudelius quam deceret erga christianum regem se haberet, hanc esse causam quae non feodum, sed quae peccatum spectaret ; de peccato autem judicare proprium esse Summi Pontificis negotium ; tum regi suadet ut abbatis de Casamario [1] consiliis, ne Summi Pontificis iram in se concitet, benigniorem animum praebeat ; immo eodem die abbati imperat « ut de querela regis Anglorum et ejus exceptione utrum sit justa cognoscatur, non ratione feudi, cujus ad eum (h. e. Philippum) spectat judicium, sed occasione peccati, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura » [2].

Interea Johanni, missis ambagibus, papa (hoc eodem die) scribit [3], cui multas injurias Turonensi ecclesiae illatas, multa castella multasque terras regis Francorum vassallis sine jure abrepta [4], res a Philippo per totum annum [5] frustra repetitas, crimini dat ; « cumque, communicato cum baronibus et hominibus suis consilio, certum tibi terminum statuisset, ut ejus in presentia compareres, quod jus dictaret sine retractatione facturus, licet esses ligius homo ejus, nec ivisti tamen ad diem statutum, nec misisti aliquem sponsalem, sed mandatum ejus penitus contempsisti. Consequenter vero personaliter te convenit [6], et super his te

1. Casamario, monasterium in Verolensi dioecesi (Veroli). Cf. Ughello, *Italia sacra,* I, col. 1394.

2. *Rer. gall. Script.*, XIX, p. 443. Potthast, 2011.

3. *Rer. gall. Script.*, p. 444. Potthast, 2013.

4. Cf. Lecointre-Dupont, *Mém. de la Soc. des antiq. de l'Ouest*, t. XII (1845), p. 150.

5. Ab autumno anni 1201 ad autumnum anni 1202, ut inferius apparebit.

6. In quadragesima anni 1202, in loco dicto Le Goulet, inter Ver-

commonuit viva voce, quum non haberet in votis ut faceret tibi guerram, si tam te circa eum qualem tenebaris ex debito exhiberes. Verum, quum nec sic satisfacere voluisses, licet te de baronum et hominum consilio diffidasset, mota tamen guerra, ad te quatuor ex militibus suis misit, volens certificari per eos, si velles ea que in ipsum commiseras emendare. Tu autem a facie te querentium abscondidisti, et captasti absentiam, ita quod te videre nullatenus potuerunt. Homines vero tui occurrentes querentibus, nuntiaverunt se prescire quid eis a rege ipso fuisset injunctum, et quod non poterant loqui tecum ». Denique Johannem papa hortatur « quatenus ad ea que pacis sunt devotius attendat, et non solum recipiat pacem vel treugas, si tibi forsitan offerantur, sed etiam eas offerre nullatenus erubescat ».

Illud igitur ex his litteris patet, nempe Innocentium, dum Philippi ferocitatem exprobrat aut in Johannis culpas invehitur, nullam Arturi mentionem facere, neque ullius sententiae propter ejus necem latae meminisse. Atenim, quid mirum, cum illud dubium habeatur quo tempore Arturus interfectus sit? Sane; namque cum apud alios scelus mense aprili anno 1203 perpetratum esse constet, ita aliis non visum est a veritate nimis abhorrere, si annus 1204 priori anteponeretur. Me vero certum admissi sceleris tempus fugere fateor. Attamen illud unum inter aequales hujus temporis rerum scriptores convenit, Arturum ipsa Johannis manu percussum Rotomagi obiisse; sed ultra progressuro deest confidentia, neque Annales Margamenses[1] usque eo sequi audeam ut, eorum auctoritate

nonem et Andeliacum. Cf. R. de Coggeshall, ed. Stevenson, p. 136; Rigord, apud *Rer. gall. Script.*, XVII, 57; Radulf. de Diceto, *ibid.*, XVII, 660.

1. « In turre Rotomagensi, feria quarta ante Pascha » (1203). — Doctissimus vir Chéruel, in libro qui inscribitur *Histoire de Rouen*, chartam quamdam datam « l'an de l'Incarnation, mil deux cenz et vingt, l'an du règne de Philippe-Auguste, XVII^e », publici juris fecit addiditque : « il est probable qu'on ne comptait le règne de Philippe-

fretus, affirmem Arturum tertio die aprilis acerbissima morte esse interemptum. Nihil quidem obstat quominus hanc diem veram arbitremur, cum eo ipso tempore Johannem Rotomagi moram non ita brevem traxisse istius regis epistolae demonstrent[1], sed, cum sedem per totum annum 1203 saepissime mutaverit, eum non semel Rotomagum rediisse, atque in hac civitate dies 9-12 mensis novembris moratum esse novimus. Quod si autem scelus a Johanne hoc tempore admissum esse velis, nihil aliud litterae ab Innocentio tricesimo primo die octobris datae, nisi ante hunc octobrem mensem nullam in Johannem propter nepotis necem sententiam latam esse, ne ullam quidem litem inchoatam, docere te valebunt. Nec, si omnem hujus Pontificis epistolarum seriem perlegeris, multum, nisi fallor, proficies, cum in his omnino et de mortuo Arturo et de Johanne iterum damnato sileatur. Non tamen papam fefellit judicium quodvis in Angliae regem esse factum; qui cum ab episcopis Normanniae provinciae a Philippo jam partae interrogaretur utri victorine an victo fides praestanda esset, his verbis septimo die martis (1205, n. st.) respondit : « In litteris quas ad nostram presentiam destinastis, perspeximus contineri quod, cum carissimus in Christo filius noster rex Francorum illustris terram Normannie jam sue subjugaverit ditioni, et tam a baronibus quam ab omnibus laicis fidelitatem acceperit..., asserens quod *justicia preeunte per sententiam curie sue Normanniam acquisivit,* ideoque vos ad fidelitatem ei teneri prestandam... Quia vero nec de jure, nec de consuetudine nobis constat, utpote qui *causam, modum et ordinem aliasque circumstancias ignoramus*, idcirco super re dubia vobis non pos-

Auguste, en Normandie, qu'à partir de la sentence de confiscation prononcée le 1er avril 1203 ». Hanc vero chartam ostendit L. Delisle datam esse : « anno domini nostri m. cc. xx., regni vero nostri xl, mense decembri ». *Catal.*, n° 2014.

1. Itinerarium regis Johannis, apud Th. D. Hardy, *Rott. litt. pat.*, in praefatione, t. I.

sumus certum dare responsum »[1]. Quamvis autem quo tempore, aut quibus de causis hanc sententiam curia regis Francorum tulerit, per has litteras non satis liqueat, illud tamen constat, quod si res quemadmodum vulgo traditum est se habuissent[2], si mortui Arturi fama tantam in omnium animos indignationem injecisset ut legati a frequentissimo Britonum concilio missi Lutetiam ultionis poscendae causa venissent, Philippus autem, neglectis prae sceleris immanitate antiquis regni institutis, Duodecim Pares vocavisset, si denique ab hoc inaudito procerum regni concilio Angliae rex parricidii reus mortis damnatus esset, Innocentius haec dubia verba « utpote qui causam, modum et ordinem aliasque circumstancias ignoramus » usurpare nequaquam sustinuisset. Quod autem summus pontifex ignorat, quod et in concilio Meldis anno 1204 habito[3], et vigente quod Magnum Interdictum nuncupatur, immo Johanne solemniter anno 1213 excommunicato, omnino praetermisit, hoc ipsum nos affirmare audebimus ?

Nunc autem ad chartas in regali Franciae cancellaria conscriptas veniamus.

Anno 1203 (ut recentiore calendarii forma utar) mense martio, Mauritius de Creone (Craon), et quidam alii Pictaviae barones Philippo « *quamdiu Arturus dux Britannie*[4] *in prisona erit* », homagium ligium fidemque jurejurando promittunt ; « si autem contingerit (*sic*) quod Arturus liberetur quocumque modo, et ipse conventionibus que sunt inter dominum regem Francorum et ipsum resilierit, ego

1. *Rer. gall. Script.*, XIX, 474. Potthast, 2434.
2. Luchaire, *Philippe-Auguste*, p. 94.
3. *Rer. gall. Script.*, XIX, 458, 469 sq ; *Annales eccles.*, t. XX, 182 ; Hefele, *Conciles*, trad. fr., t. VIII, p. 36. Quae in hoc Meldensi concilio gesta sunt retulit *Anonymi* cujusdam *Narratiuncula* quam apud Andream Du Chesne, *Scriptores*, t. V, atque apud Labbe, *Concilia*, t. XI, reperies.
4. Mirabelli primo die augusti 1202 captus.

(M. de Creone) cum toto feodo meo ad dominum regem Francorum veniam ; ... et si *contingerit forte Arturum mori*, ego remanebo homo ligius domini regis Francorum [1]. » Sequenti autem mense octobri Philippus, cum jam oppidum gallice Gaillard vocatum obsidione circumdaret, Guidoni de Thoarcio nonnulla castella in Turonia concedit, « salva fidelitate Arturi, *si vivus fuerit* » [2]. Octobri igitur mense, ut Innocentius, ita Philippus ipse mortis Arturi nondum certior factus est ; quae cum ita sint, fierine potest ut ullum judicium ob ejus necem ante hoc tempus habitum sit ?

Sin autem domino Brient, ordinis S. B. monacho, Britanniae historiae peritissimo, credamus, falso id concludimus, quippe qui notet Odonem Burgundiae comitem regi Philippo mense julio (1203) promisisse se ei totis viribus in bello adversus Angliae regem *ad ulciscendam Arturi mortem* jam incepto, inserviturum [3]. Odonis vero chartam

1. Delisle, *Le premier registre de Philippe-Auguste*, p. 58. *Catalogue*, n° 752 ; cf. p. 506.

2. *Ibid.*, n° 783 ; cf. R. de Coggesh : « Quod si ille (Arturus) de medio jam (mense aprili 1204) sublatus esset ». *Le premier registre de Philippe-Auguste :* « Notum, etc. Quod nos volumus et concedimus quod dilectus et fidelis noster Guido de Thoarcio habeat a nobis et heredibus nostris castra de Blanchesac (*sic*) et de Camiliaco salvo jure Andegavensis episcopi, in hominagium ligium, salva fidelitate Arturi si vivus fuerit. Quod ut ratum, etc. Actum ante Gaillart, anno Domini m°. cc°. tercio, mense octobri ». In *Catalogo* Delisle castrorum nomina recte correxit : Brissac (Maine-et-Loire, arrond. d'Angers, canton de Thouarcé) et Chemillé (*ibid.*, arr. de Beaupréau). Cf. alteram chartam Aimerico Thoarcensi vicecomiti a Philippo rege concessam : « Notum sit quod A. vicecom. Thoarc. fecit nobis hominagium ligium ; et nos in agmentum (*sic*) feodi sui dedimus ei Lodunium (Loudun) cum pertinenciis suis et heredi suo de uxore desponsata, cui illud castrum in morte sua dederit, *salvo jure Art.*, *si idem Art. liberatus fuerit* et conventiones nostras tenuerit..... et salvis consuetudinibus ejusdem castri quas nos eis tenere carantavimus quando nobis reddiderunt castrum ». (Sine anno et die.) Delisle. *Le premier registre de Philippe-Auguste*, p. 30. Quae charta in registro cancellata est.

3. Bibl. nat., mss., *Collection des Blancs-Manteaux*, f. fr., n° 22308, fol. 185 verso : « Promesse d'Eude au roy Ph. de le servir de tout son

in libro qui *Preuves des libertez de l'Eglise gallicane* inscribitur, publici juris factam dominus Brient significat; quam tamen nec plane descripsit, nec recte interpretatus est, cum illud tantum data fide Odo promittat, « ut neque pacem neque treugam faciat regi Anglie per violentiam vel per coactionem domini pape aut alicujus cardinalis »[1]. Ne nomen quidem Arturi in hac charta aut in ceteris huic similibus invenias.

Ut autem Philippus, ita filius ejus et successor, nempe Ludovicus VIII, de Arturi morte et de his quae inde evenerint, in chartis saltem suis tacet. Anno enim 1224, postquam, indutiarum Henrico III Johannis filio anno 1220 concessarum[2] die jam exeunte, in Pictaviam nondum omnino subactam collecta manu impetum Francorum rex fecerat, Honorius papa III, talem injuriam conquestus, Ludovicum arroganter per litteras tertio die augusti monuit ut indutias cum Anglorum rege antea factas renovaret, nedum[3] in incepto diutius permaneret. Cui rex respondit sibi Franciae barones nequaquam auctores fuisse ut pacem cum Anglis iceret, se autem ideo Pictaviam occupavisse ut in possessionem suarum jure terrarum veniret, « de quibus et aliis feodis regno Francie moventibus fuit abjudicatus Johannes quondam rex Anglie per judicium Parium suorum Francie, baronum nostrorum, antequam iste rex Henricus Anglie genitus esset sive natus »[4]. Haec eadem sane verba in quadam alia charta olim versabantur, quam nunc amissam doctus vir Tillettus ita breviter commemorat : « Certification du roi Louis VIII que, régnant

pouvoir dans la guerre qu'il faisoit au roy d'Angleterre, *pour tirer raison de la mort dudit Artur* ».

1. *Preuves des lib. de l'Egl. gall.*, 1731, t. I pars prima, p. 95. Cf. Delisle, *Catalogue*, 770.

2. *Table des diplômes*, t. V, p. 128.

3. *Rer. gall. Script.*, XIX, 759. Cf. Potthast, 7294.

4. *Annales ecclesiastici*, t. XX, p. 482.

son père, le roi Jean avoit, par jugement de la cour des pairs de France donné avec conformité d'opinion, confisqué tout ce qu'il avoit en deça la mer, avant que son fils le roy Henri III d'Angleterre fut nay. Dattée en mai 1224 »[1]. Qua in charta, ut quae Johannem *capitis* damnatum omisisset, Bernardus, Academiae Inscriptionum et humaniorum litterarum olim socius, cum de Origine Curiae Parium Franciae dissereret[2], nullam inesse auctoritatem arbitrabatur; eam vero, inspecta priore charta, procul dubio integram esse sinceramque compertum habeo.

Tantulum igitur novi regales chartae paparum epistolis addunt, ut, si quis horum temporum historiam, authenticarum chartarum auxilio tantum fretus, scribere aggrediatur, nullam fere de Johannis scelere et poena notitiam aut apud Innocentium, vel Johanni infensissimum, aut apud Philippum quanquam Johannis infamandi avidissimum, aut apud Ludovicum, etiam dum Johannem regno privare conaretur, invenire posset. Me quidem non fugit a plerisque rerum scriptoribus alia testimonia, videlicet eas « Objectiones Ludovici et baronum Anglie contra regem Johannem » a Rogero de Wendover editas, et litteras ab eodem Ludovico ad abbatem sancti Augustini Cantuariensis missas, prolata esse; attamen quamvis illas a Ludovico vere scriptas, has autem ad abbatem vere missas esse existimem, cum pluribus mendaciis deformentur, fere nullius momenti fieri debent. Rectene an perperam ita censeam in sequenti capite disserere proposui.

1. Du Tillet, *Recueil des traictez d'entre les roys de France et d'Angleterre* (1606), p. 166.

2. Bernardi, apud *Mém. de l'Acad. des inscr.*, nov. ser., t. X (1833), p. 640.

## § II.

### QUID NOS CHRONICORUM LIBRI EDOCEANT.

Inter eos qui res a Philippo rege saeculo XIII ineunte gestas narrare aut cordi aut muneri habuerunt, Rigordus in monasterio sancti Dionysii monachus et Willelmus ab origine Armoricus aut Brito dictus, Philippi regis capellanus, peculiarem locum obtinent ; quos fide dignissimos esse apud omnes constat. Cum autem Francorum regi, ut aequum est, studeant, jure sperare possumus fore ut sententiam in Arturi interfectorem, si qua fuerit, a paribus Franciae latam, Johanni tam ignominiosam, Philippo tam opportunam, apud eos reperiamus ; quae spes eventu admodum decipitur. Illa enim Rigordus, verus ut ita dicam Philippi regis historiographus, nude memorat.

Initio mensis aprilis (1202 n. st.) colloquium inter Vernonem atque Andeliacum Philippus Johannesque (qua de causa non dicit Rigordus) fecerunt ; at, cum ibi Francorum rex jussisset Johannem « sicut hominem suum ligium pro comitatu Pictavensi, et Andegavensi, et pro ducatu Aquitanie » Lutetiam « in quindena Pasche » venire ut responderet « super his que rex Francorum adversus eum proponeret », Johannes non solum vadimonium non obiit, sed ne procuratores quidem pro se mittere dignatus est. Francorum rex igitur, « habito cum principibus et baronibus suis consilio », suos ad arma vocat, tum Gornacum aliaque oppida vi expugnat, Arturum denique Britanniae comitem vassallum suum militari cingulo donat ; qui, dum

Mirabellum castrum obsideret, a patruo suo captus est. Philippus autem « auditis hujusmodi rumoribus », Archarum obsidione relicta, Turones properat urbemque diruit; illum in his rebus Hugo Brunus Marchiae comes, Aimericus Thoarcensis, Galfridus « de Ladinanno », multique alii pro virili parte adjuvant. « Homines erant ligii regis Anglie ; sed, quia uxorem suam Hugoni Bruno in dolo abstulerat, filiam scilicet comitis Engolismensis, et multa alia mala eisdem Pictavensibus intulerat, a fidelitate ejus recesserant, et regi Francorum sub juramento, necnon, datis obsidibus, confederati fuerunt ». — Arturi vero fatum, et quaevis sententia propter ejus mortem in interfectorem lata, Rigordum penitus latuisse videtur [1].

Rigordi chronicon anno 1208 interruptum Armoricus et retractavit, et ad finem anni 1219 continuando prosa oratione primum perduxit; tum, quo magnificentius Philippi Ludovicique laudes praedicaret, versibus totam Philippi historiam canere adortus est. Cum autem anno circiter 1220 Philippidos libri in lucem prodierint, eos non tanta fide dignos esse jure arbitrari possumus, quantum chronicon *de Gestis Philippi regis,* ut quaeque res adveniebat scriptum [2], semper meruit; quod quidem in iis quae infra memorata sunt, clarius, ut opinor, patebit.

Quanquam pauca Rigordo Armoricus in prosa oratione addit, belli tamen causas refert, nempe ablatam Hugoni sponsam et protelatum quod Philippo Johannes debebat homagium. « Idem vero rex Johannes tandem pepigit quod super his mandato curie domini sui se supponeret »; tum, ut fidem pignore obligaret, duo oppida Tilerias enim et Botavant [3] se illi traditurum promisit; militibus vero a

1. *Rer. gall. Script.*, t. XVII, 54. Cf. Delaborde, p. 151.

2. Delaborde, *Etude sur la chronique en prose de Guillaume le Breton* (Bibl. des Ec. fr. d'Athènes et de Rome, fasc. 22).

3. Tillières-sur-Avre, dép. de l'Eure. « Edificavit (Richardus rex) aliam munitionem super ripam Sequane, quam vocavit *Botavant,* quod

Francorum rege ad oppida occupanda missis portae clausae sunt, negatusque ingressus; nec Johannes « ad diem predictum venit, nec responsalem misit ». Itaque Philippus, cum ira incensus Normanniae fines invasisset, Botavant cepit et diruit, Arguello et Mortuomari potitus est, Gornacumque[1], non sine magnis laboribus impensis expugnavit. Arturum autem interea, militem Philippique generum factum, postquam Mirabelli deprehensus fuisset, « Johannes rex, ait Armoricus (1203), habebat in carcere; et cepit Dolum, et vastavit Filicerias et totam terram illam »[2], nulla amplius de Arturi nece mentione habita. Nec quidquam nobis ea de re, nisi decem annorum spatium transgressis, apud Armoricum comperire est, cum belli adversus Johannem anno 1213 excogitati causas his verbis exponit : « Causa que Philippum regem magnanimum moverat ad hoc ut vellet in Angliam transfretare, fuit ut episcopos, qui diu a sedibus suis ejecti in regno suo exulabant, suis ecclesiis restitueret, ut divinum servitium, quod jam per septennium in tota Anglia cessaverat, faceret renovari, et ut ipsum Johannem, qui *nepotem suum Arturum occiderat*, qui et plurimos parvulos, clxxxiij obsides suspenderat, et flagitia innumerabilia perpetraverat, *vel pene condigne subjiceret*, vel a regno prorsus expellens, secundum agnominis sui interpretationem omnino efficeret sine terra »[3].

Quam autem ob causam Johannes Lutetiam reus venire anno 1202 jussus sit, quod ei objectum crimen, qui et qua de re questi sint, versificata narratio planius quam prosa

sonat « pulsus in anteriora », quasi diceret : ad recuperandam terram meam in anteriora me extendo ». Guill. Armor., *Rer. gall. Script.*, XVII, 76; ed. Delaborde, p. 209.

1. Argueil, Mortemer-sur-Eaune, Gournai-en-Brai; Seine-Inférieure, arr. de Neufchâtel.

2. Delaborde, p. 212. Dol et Fougères. Ille-et-Vilaine.

3. *Rer. gall. Script.*, XVII, p. 75, 100. Delaborde, p. 253.

exponere videtur. Cum enim plurimas injurias a Johanne illatas Pictaviae barones passi, Philippum dominum superiorem appellavissent, reoque dies dictus esset, respondit :

Absit ut a domini regis ditione reflectam!
Jus tamen est, et tu rectum esse fateberis, ut, qui
Sunt mihi subjecti, subeant examina nostri
Prima fori. Cui, si defecero forte (quod absit!)
Judicio parium tunc me tractabo meorum.

Sin autem, addit Armoricus, eos injuste queri ab idoneis viris judicatum erit, tum falsae accusationis poenas luent. Interea pollicetur Angliae rex se die certa judices convocaturum; Lodunum[1] igitur accusatores conveniant; se vero provisurum ut inde ad Andegaviam civitatem, qui locus juri dicendo designatus sit, securum iter habeant. Cum autem datam fidem iterum atque iterum fallere ausus esset, bellum renovatum est. Tum demum, postquam de nece Arturi post Mirabelli cladem interempti Armoricus, haud scio an ficti quam veri studiosior, copiosissimis verbis perscripsit, sceleste factum indignatus et lamentatus, Johannem Neroni Herodoque Judaeorum regi ore inflato confert; sic tibi continget, exclamat,

Sic tibi continget Arturi morte, Johannes!
Ejus per vitam meruisti perdere regnum;
Ejus per mortem vita regnoque carebis.
Antea quam fato fieres ludente monarchus,
Patris ab ore tui « sine Terra » nomen habebas;
Ne pater ergo tuus sit in hoc tibi nomine mendax,
Hec tibi mors addet rem nominis hujus et omen.
Nam tibi fatalis venit hora, nec est procul a te,
Qua, factus mortem cunctis odiosus ob istam,
Fies et vives sine terra pluribus annis.
Postea, privatus regno, privabere vita[2]!

1. Loudun, Vienne.
2. *Philippid.* lib VI, v. 586-603. *Rer. gall. Script.*, XVII, 194.

Hos versus parum attento animo legenti forsitan, sed, mea sententia, immerito capitalis judicii cujusdam suspicio orietur; illud enim tantum hic Philippidos locus significare mihi videtur, Johannem nempe post rebellionem a baronibus suis anno 1215-1216 factam, victoriasque a Ludovico Philippi regis filio reportatas, egenum, ab omnibus destitutum, in proprio regno fere extorrem, misere occubuisse. Quid factum sit, non quid judicatum memorat.

Sententiae tamen in Johannem ob nepotis necem latae indicium et apud Armoricum accuratius rimanti in ultimis Philippidos versibus reperire est; qui, mortuo Philippo (1223), Ludovicum ad imitandum patris virtutem hortatur.

> Plurima sunt digesta quidem, sed plura supersunt
> Que tu committes aliis tractanda poetis.

Rupella enim oppugnanda, tota Aquitania subigenda,

> Jus patrum ut teneas nullo mediante tuorum
> Possideatque nihil in finibus advena nostris,

haec omnia supersunt peragenda.

> Nec regem regnare sines in pace novellum,

(Henricum III Johannis filium quatuordecim annos natum significat.)

> Qui modo presumit Anglorum sceptra tenere
> *Que genitori ejus subducta examine justo*
> Te solum repetunt, tibi se quandoque reservant,
> Uxoris pro jure tue tibi debita soli.
> In quibus Angligene concors electio cleri,
> Et populi, et procerum, tibi jus speciale paravit,..
> Nec tibi des requiem, donec puer Anglicus armis
> Victa, quibus nil juris habet, tibi sceptra resignet,
> Solus ut in regnis habeas regnare duobus[1].

1. *Philippid.* lib. XII, vers. 833 et sq. *Rer. gall. Script.*, XVII, 285.

Similia his apud Rogerum de Wendover legere est, coram Innocentii legato in frequenti Meledunensi[1] baronum Franciae concilio (1216) praedicata : « Domine rex, res notissima est omnibus quod Johannes, dictus rex Anglie, pro Arturi nepotis proditione quem propriis manibus interemit, in curia vestra per judicium parium suorum ad mortem sit condemnatus, ac postmodum a baronibus Anglie pro multis homicidiis et enormitatibus... repudiatus... Vacans itaque regnum sine baronibus ordinari non debuit, unde barones elegerunt dominum Ludovicum ratione uxoris sue, cujus mater, regina scilicet Castelle, sola ex omnibus fratribus et sororibus regis Anglie vivens fuit[2]. » Qui locus recte, ut opinor, Armorici versus interpretatur, idemque « subducta examine justo » sonat quod « in curia vestra per judicium parium suorum ad mortem condemnatus. » In his autem cavendum est ne facilius ipsius Ludovici verbis habeatur fides, cum hoc eodem anno 1216 in eo sit iste ut in Angliam regni usurpandi causa transfretet, eaque argumenta proferat, quibus jus suum, si quod habeat, maxime valere videatur.

Exceptis igitur ultimis Philippidos versibus, si nihil aliud nisi Rigordi testimonium, illamque Armorici tantum partem ante annum 1216 conscriptam consideraveris, non sine quadam admiratione animadvertes judicium tanti ponderis, Francorum regi tam utile, a duobus scriptoribus res sui temporis optime edoctis penitus praetermissum esse, immo ignoratum.

Eodem tempore quo Philippi favore et jussu « Gesta regis » Rigordus Armoricusque narrabant, Altissiodorensis quidam monachus, Robertus nomine, summo cum studio

1. Melun (Marne). Haud recte apud Wendover (ed. Luard) legitur : « apud Lugdunum »; nec rectius Luard : « Dom Brial suggests Laudunum (Laon) for Lugdunum (Lyon) ». Meledunum legendum esse ostendit catalogus rerum a Philippo Augusto actarum. (Delisle, p. 370.)

2. Wendover-Paris, ed. Luard, II, 652.

fideque chronicon condidit quod propria auctoris[1] manu exaratum adhuc servavimus, ejus morte anno 1212 (quod maximi momenti nobis est) interruptum. Is, quae fuerint causae belli anno 1201 in Pictavia conflati optime novit, atque eodem fere modo ac Rigordus ipse refert. Arturum enim Mirabelli cum pluribus aliis captum esse accepit, « quos tamen, datis postmodum obsidibus, (Johannes) relaxat, Arturo retento arctiusque recluso ; » nec plura apud Robertum[2].

Atenim Robertus, cum in comitatu Altissiodorensi, nempe extra fines provinciarum Philippo, non tanquam regi sed tanquam domino subditarum, et viveret et scriberet, ea quae in Francia, in Normannia aut in Pictavia gererentur, levioris momenti sibi esse ducebat quam ut omnia ordine exponeret. Qualiscumque est hujus argumenti vis, non idem profecto de Anonymo Turonensi objicies; qui, postquam injurias Marchiae comiti a Johanne illatas atque Arturi in manus hostium delapsi aerumnas memoravit, illud unum adjicit : « illumque postea apud Rotomagum, ut dicitur, interfecit[3]. » An verisimile est tantam cladem adeo non late percrebuisse, ut ad aures viri in ea ipsa regione viventis quam tum Johannes conservare, tum Philippus subigere contenderent, non pervenerit?

1. In publica Altissiodorensis civitatis bibliotheca. Hunc Robertum Abolant cognomine minime vocari debere nuper ostendit Max Quentin. Eodem enim tempore unus et alter Robertus in Altissiodorensi civitate (Auxerre) vixere. Alter, anno 1156 natus, in ordinem Praemonstratensem anno 1172 ingressus, prior Beatae Mariae extra muros (N.-D. la d'Hors) factus, jussu Milonis, abbatis S. Mariani chronicon scripsit anno 1211 interruptum atque anno sequenti 1212 obiit. Alter vero Robertus, Abolanz cognomine, lector in capitulo Altissiodorensi primum fuit; anno 1214 judex in quadam lite exstitit. « 1250, 21 febr. Obitus magistri Roberti Abolanz, canonici et presbyteri ». Vide *Notice sur l'auteur de la chronique de saint Marien,* apud. *Bullet. Soc. des sciences histor. et natur. de l'Yonne.* Anno 1883, vol. 38, p. 159.

2. *Hist. de Fr.,* XVIII, p. 266.

3. *Ibid.*, XVIII, 295.

Sed hactenus de chronicis ante annum 1216 in Francia conscriptis[1]. Quod vero ad ceteros auctores attinet qui ab his temporibus remoti res a Philippo gestas posteris mandare curaverunt, aut eorum, si propriis opibus huic labori incubuere, dubia auctoritas est; aut, si quem hujus aetatis aequalem scriptorem imitati sunt, non majorem quam principalis ille scriptor merentur fidem; aut, si ab eodem fonte auctor simul imitatorque defluxere, plurima testimonia producere minime refert. Etenim plerique eorum, qui longiore post annum 1216 intervallo de hujus anni rebus scripserunt, quemadmodum Johannem a Paribus Franciae propter Arturi necem capitis damnatum esse memorant, ita omnes iisdem fere verbis (quod imprimis notandum est) usi sunt. Quos inter et Vincentium Belvacensem proferre licet, cujus liber qui *Speculum historiale* inscribitur, paulo ante annum 1264, quo ille diem supremum egit, confectus est[2]; et Guillelmum e Nangiaco oriundum vocatumque, qui circa annum 1304 fato defunctus chronicon memoratum magis quam memoria dignum alios expilando fabricatus est[3]: et falsum hunc Petrum Lodovensis ecclesiae episcopum, cujus Chesnius *Praeclara Francorum facinora* 1201-1311, quae vulgo chronici comitis Montisfortis nomine designantur,

1. Nullam Arturi mentionem in chronico Helinandi monachi, anno 1204 terminato, reperire est; vid. *Bibliotheca patrum cisterciensium*, labore et studio fr. B. Tissier (1664), t. VII, p. 205; nullam pariter inesse in carmine quo anonymus quidem poeta (verum enim poetam eum vocare licet) Willelmi magni Angliae marescalli vitam descripsit, ab ipso Paulo Meyer grate accepi.

2. « Johannes autem Arthurum apud Mirabellum cepit, ceterisque per obsides liberatis, ipsum, ut fertur, latenter peremit; *super quo a baronibus apud regem Francie accusatus, cujus vassallus erat, cum comparere nollet, post multas citationes per judicium Parium exheredatus est* ». Edit. Duacensis (Douai), IV, 1209.

3. Edit. Géraud, *Soc. de l'hist. de Fr.*, t. I, p. 118. Eadem verba usurpat Nangiacus quae in Vincentii sententia superius laudata, italicis litteris signata memoravi.

publici juris fecit[1]; et *Brevem comitum Andegavensium historiam*, quam qui in lucem prodidit quonam modo et quo tempore fuerit composita disserere neglexit[2]; et *Normanniae chronica* ab egregio viro Chéruel primum edita, quibus longo post rei eventum intervallo scriptis nullam auctoritatem concedere possumus[3]. Mathaeumne Westmonasteriensem producam, cujus *Flores historiarum* tanto favore apud recentiores rerum medii aevi scriptores olim fruebantur? Apud quem, ut apud ceteros, legimus Johannem « cum ante Philippum regem Franciae, cujus vassallus erat, nollet comparere, per judicium Parium Franciae exheredatum esse a tota terra quam habebat in regno Francie; » at diligentissimus codicum ad historiam Britanniae pertinentium investigator, clarissimus vir Th. D. Hardy, jampridem nos monuit[4] haec verba non merito civitatem in Mathaei chronico assecuta esse, sed injuria usurpasse, et perperam in editionem ab archiepiscopo Cantuariensi Parkero praelis anno 1570 mandatam irrepsisse, cum nec in superiore anni 1567 editione, nec in ullo codicum quibus in utramque editionem Parkerus est usus, inveniantur[5].

1. Du Chesne, *Hist. Franc. Script.*, V, 764; Petrus ille Lodovensis episcopus idem est ac Bernardus Guidonis, Praedicator et Inquisitor insignis, qui Lodovensem ecclesiam annos 1324-1331 rexit; cf. Schmidt, *Histoire des Cathares ou Albigeois*, II, 303, et Delisle, *Bibl. de l'Ec. des Chartes*, 1877, p. 384. Eadem verba apud eum atque apud Vincentium invenies, his tantum, post « exheredatus est » additis : « a ducatu Aquitanie et a tota terra quam habêbat in regno Francie ». Illud amplius notandum auctores supra laudatos de *capitali* damnatione minime (nec immerito) loqui. Cf. tamen Isambert, *Lois françaises*, I, 104.

2. « Unde vocatus et accusatus, cum apud Philippum regem Francie, cujus vassallus erat, nollet comparere, per judicium Parium Francie exheredatus est a tota terra quam habebat in regno Francie ». *Soc. de l'hist. de France*, p. 388.

3. *Mém. de la Soc. des Antiq. de Norm.*, t. XVII, p. 15.

4. *Descriptive catalogue of english history*, t. III, 412, 441.

5. Apud breve quoddam Chronicon comitum Pictaviae et ducum Aquitaniae legitur Ludovicum VIII « per forisfactum regis A. Johan-

Cum igitur pateat omnes hos scriptores eadem verba ex eodem fonte deprompsisse, unde tamen manet hic fons, haud facile dijudicaverim; qui primus, quisquis ille fuit, sententiam saepe laudatam scripsit, hic brevibus verbis communem omnium opinionem de Arturi morte et de Johannis condemnatione satis feliciter expressit; qua ipsa brevitate effectum est, ut illa verisimilis potius quam vera opinio tanta apud posteros gratia atque auctoritate valuerit.

Nunc autem, fretum transgressi, quid anglici auctores dubii aut certi, quid veri falsive nos doceant, videamus.

Illud in hac operis parte magnam mihi affert molestiam, quod nec Rogeri de Hoveden, nec Radulfi de Diceto, quorum excellentium auctorum chronica anno ipso redintegrati inter Philippum Johannemque belli (1202) abrupte terminantur, auctoritate niti possum. Alter vero Radulfus, qui cisterciensis Coggeshalae monasterii per undecim annos (1207-1218) abbas exstitit, *Chronicon* quod inscribitur *anglicanum* composuit, injuria diu neglectum, nostris autem temporibus plurimi factum; recte quidem, nam, cum quae vidit aut ab idoneis testibus accepit sine ira et sine studio narret, gravissimum auctorem eum habere debemus. Qui, ut Johannem parricidii reum capitisque damnatum nescit, ita verum crimen et veras judicii causas enucleat. « Rex enim Philippus, ait ille, multociens mandavit regi Anglie quatinus ab eorum (h. e. Marchiae comitis ejusque sociorum) expugnatione quiesceret, et cum hominibus suis (h. e. Johannis) aliquam pacis concordiam componeret. Sed, cum rex Anglie nullatenus mandatis aut precibus regis Francorum adquiescere voluisset, summonitus est per proceres regni Francie, *quasi comes Aquitanie et Andegavie,* quatinus ad curiam domini sui regis Francie Parisius veniret... Rex autem Anglie, respondens se esse ducem Nor-

nis, quando ferro necavit Arturum ducem Britanniae » sibi Aquitaniam Normanniamque paravisse. Martène, *Ampliss. Coll.*, V, col. 1155; cf. *Rer. gall. Script.*, XVIII, 244.

mannorum, allegabat se nequaquam debere ad ullum colloquium Parisius procedere, sed solummodo inter utrosque fines, regni scilicet et ducatus, ad colloquium regis occurrere. Rex autem Philippus allegabat nequaquam justum esse ut jus suum, quod ad comitatum aquitanicum spectabat, amitteret, si isdem esset Normannie dux qui et comes Andegavie. » Ea de re magna disceptatio inter reges fuit; « tandem curia regis Francie adunata abjudicavit regem Anglie tota terra privandum quam hactenus de regibus Francie ipsi et progenitores sui tenuerant, eo quod fere omnia servitia eisdem terris debita per longum jam tempus facere contempserant, nec domino suo fere in aliquibus obtemperare volebant[1]. » Cui sententiae tam opportunae Philippus libenter adsensus, coacto exercitu Normanniae fines ingreditur; Arturus autem Mirabelli captus Rotomagi in carcerem dejicitur. Pro quo obsides accipiendos Philippus et Britones, ille generum, hi dominum suum liberare cupientes, Angliae regi offerunt; at Johanne non solum conditiones repudiante, sed etiam minas hostium deridente, rursus in Normanniam Philippus irruit (1202). Haec tantum ! Ne mentionem quidem sententiae in Arturi interfectorem latae apud Coggeshalensem abbatem reperias.

Si quis autem hunc Radulphi locum epistolae Innocentii III ad Johannem (31 oct. 1203) missae, quam in primo hujus opusculi capite descripsi, conferat, ei profecto illa duo gravissima testimonia inter se mirum in modum congruere compertum erit; nec forte id evenisse arbitrabitur, cum Radulfus res a se narratas ab Anglis manifeste acceperit, Innocentius vero ea Johanni objiciat quae Philippi Francorum regis epistolae acerbissimis verbis conquestae erant. In hoc igitur Angli Francique consentiunt nempe Johannem ob spretam Pictavorum appellationem damnatum

1. *Chronicon anglicanum*, edit. Stevenson, Rolls series, p. 136 ; *Rer gall. Script.*, XVIII, 95, sub anno 1202.

esse; hoc quoque pariter tacent eumdem sceleris admissi poenas dedisse.

Atenim Radulfus rem qualis se habuerit aut ignorare potuit, aut sedulo praetermisit! Ego vero facti ignorantiam praetendi posse in homine diligentissimo nequaquam crediderim; cur autem illud de industria omittendum censuerit non satis apparet. Immo Radulfus narrat[1] Cantuariensem archiepiscopum, Norwicensem atque Eliensem episcopos, Willelmum Marescallum et Legrecestriae comites a Johanne in Franciam primo aprilis die (1204 n. st.) missos esse, qui cum Francorum rege paciscerentur; Philippum autem id ante omnia flagitasse ut sibi vivus Arturus traderetur: quod si autem « ille de medio jam sublatus esset », mortui sororem in matrimonium, omniaque feoda in Francia a Johanne occupata in dotem sibi poposcisse; tum ipsas pacis conditiones semper acerbiores dixisse. « Seviebat autem, ait Radulfus, permaxime pro nece Arturi, quem in Sequana submersum fuisse audierat: unde et jurasse fertur quod nullo tempore vite sue ab infestatione regis Johannis desisteret, donec eum toto regno suo[2] privasset. » Ut igitur antea, per chartam a Philippo Guidoni Thoarcensi anno 1203 octobri mense concessam, didicimus nullum ante hunc mensem judicium haberi potuisse, ita nunc nullam ante anni 1204 aprilem mensem latam esse sententiam Radulfus nos docet. An vero credibile est in hoc temporis intervallo, nempe post oppidi quod vulgo Gaillard vocatur expugnationem (sexto igitur die martis 1204), paucis autem diebus ante Rotomagi (24° die junii) deditionem aliquod momentum hujusmodi judicio idoneum exstitisse?

Eodem fere tempore quo Radulfus, paulo tamen recentior, Rogerus de Wendower, qui in inclyto sancti Albani

1. Stevenson, p. 146; cf. *Hist. de Fr.*, XVIII, 98.

2. Hac voce, non Angliae regnum, sed principatum quem in Francia Johannes obtinebat, ex ipsis Radulfi verbis significari censeo. Cf. Paris, II, 658.

monasterio curis expertem vitam degebat, chronicon, cui titulus *Flores historiarum* est, confecit, in quo, postquam rerum ab origine mundi, ut saepius piis garrulisque medii aevi scriptoribus mos fuit, praeteritarum eventus evolvere adortus est, ineunte demum saeculo XIII°, cum jam nos Rogerus de Hoveden Radulfusque de Diceto deficiunt, ita propriis opibus temporis sui historiam coepit conscribere, ut, quo magis aetate procedat, eo major in ejus testimonio auctoritas inesse videatur. Dum autem res annis 1202-1204 actas explicat, nullomodo a ceteris, quos supra laudavimus, nihil a Rigordo, ab Armorico neque a Radulfo dissidere videtur. Colloquium enim Guletonii[1] inter Angliae et Franciae reges tempore quadragesimae (anno 1202 n. st.) habitum memorat, ubi Philippus in Johannem « lethali animatus odio » petiit ut Britanniae comes in possessionem omnium terrarum quas rex Angliae in Francia obtinebat, mitteretur, illumque Francorum minas despicientem armis denique aggressus est; Arturus autem ab hostibus deprehensus et Rotomagum in carcerem deductus, « non multo post subito evanuit »; cujus mortem Johanni, « quasi illum manu proprio peremisset », vulgi rumores exprobraverunt[2].

Haec omnia Matthaeus Parisiensis, in historia temporis sui scribenda Rogeri successor, verbis tantum in *Historia Anglorum* mutatis, et nonnullis in *Historia majore* additis, fideliter secutus, ita sui juris fecit ut, si non ultra annum 1215 Rogeri Matthaeique opera procederent, vix ullam Arturi interfecti, nedum capitalis judicii opinionem praeberent; sed, postquam his ducibus ad annum 1216 pervenimus, inauditas res edocti admiramur.

Eodem enim anno, ut supra jam dictum est, cum Ludo-

1. Le Goulet.
2. Wendover-Paris; Rolls series, II, p. 480. Rogero de Wendover addit Matthaeus Paris. : « modo fere omnibus ignorato, utinam non ut fama refert invida ! »

vicus Francorum regis filius in eo esset ut rebellantibus Angliae baronibus ipsumque vocantibus auxiliaretur, excommunicationem vero formidaret quam ei papae legatus, nisi ab incepto desisteret, vehementissime minabatur, proceres regni Franciae Meledunum frequentes convenerunt; ubi, quamvis Philippus rex se hujus consilii nequaquam participem esse praedicarèt, Ludovicus tamen palam agere coepit, et aperte dicere Angliae coronam suam esse, Johannem nempe anno 1194 omnià jura tum Angliae baronum judicio, tum Richardi regis voluntate amisisse; si quo tamen jure postea regnum occupavisset, id per sententiam a Paribus Franciae ob Arturi necem latam perdidisse. Legatus vero, qui summo opere nitebatur ut regi Angliae Sanctae Sedis vassallo succurreret, harum rationum vim nihili pendens, excommunicationis fulmina in Ludovicum omnesque ejus fautores immisit; qui tamen, missis ad papam procuratoribus, in Angliam perrexit. Nec multo post Ludovicum procuratores quid Romae egerint, quod responsum ab Innocentio accepissent, certiorem fecerunt. Hae sunt quas Rogerus « Objectiones Ludovici et baronum Anglie contra regem Johannem » ipse rubricato titulo vocat, atque in suum opus ad verbum inseruit[1]. Mihi tamen in praesentia non est animus quid de his « Objectionibus » censeam abundanter explicare : alter enim huic simillimus nobis ante oculos brevi obversabitur libellus, ideoque una ambo perscrutari melius visum est. Quid vero de Ludovici argumentis Matthaeus Parisiensis, Rogerum retractando, arbitretur, hoc jam animadvertere licet.

Ille igitur, ubi primam (tres enim sunt) propositionem fideli calamo transcripsit, atque Johannem parricidii causa capitis esse damnatum memoravit, ecce sermonem abrumpit et, sub rubricato titulo : « Veritas rei geste super hoc », Ludovici procuratores ita reprehendit corrigitque[2] : « Re-

1. Wendover-Paris, II, 657.
2. *Ibid.*, 658.

vera non fuit rex Johannes juste vel rite abjudicatus a Normannia, quia idem rex non judicialiter sed violenter spoliatus misit propter restitutionem regi Francorum Philippo nuncios solempnes et prudentes..., significans ei quod libenter veniret ad curiam suam, juri per omnia super illa re pariturus ac responsurus; sed ut provideretur ei salvus conductus ». Cum autem Philippus se tuto eundi, non redeundi, copiam facturum polliceretur, « nuncii... redierunt ad dominum regem Anglie, que audierant et viderant nunciantes. Rex autem noluit se committere dubiis casibus et judiciis Francorum qui eum non diligebant, *maxime cum timeret ut ei de turpissima morte Arturi obiceretur.* » Quibus verbis aperte ostendit Matthaeus Parisiensis se nequaquam credere Johannem propter Arturi necem damnatum fuisse; quanta autem sit hujusce testimonii gravitas neminem fugit.

Matthaei Parisiensis aequalis fuit monachus quidam, qui Annales Margamensis monasterii[1] scribebat. Nomen ejus, ut saepe illis temporibus fieri solet, ignotum; animus Johanni infensissimus. Quo tempore librum confecerit haud ita facile dixerim; cum enim in unico cantabrigensis collegii Trinitatis codice superstite, non ultra annum 1232 scriptor sit progressus, monet tamen nos diligentissimus vir R. Luard, qui recentius Margamenses Annales publici juris fecit, unum aut alterum codicis folium esse abscissum, et pro Annalium exilitate decem circiter annorum spatium deesse. Si quis autem eos accurate evolvet, quo sint confecti modo perspiciet. Injuria enim hos Annales cum Rogeri de Wendover aut Matthaei Parisiensis operibus conferas; nec verus auctor est Anonymus noster, sed ineptus scriba, qui, cum duos Annalium libros inter se parum concordes in promptu haberet, eos in unum sine ordine et sine consilio corripuit. Quid enim apud eum legimus? Dum res annis 1202-1204 gestas memorat, eadem bis et dissimilibus verbis refert. Primum nos non alia docet quam quae ab aliis chronicis

1. Margam, comit. Glamorgan, in Wallia.

comperimus, Arturum scilicet anno 1203 esse occisum et, postquam Johannes in Angliam reversus esset, Normanniam Andegaviamque a Philippo Francorum rege perdomitas; tum Alienordem Johannis matrem, Wintoniensem episcopum, Remensemque archiepiscopum vita defunctos (1204), denique Chinonem a Francorum rege oppugnatum; haec autem omnia adeo sicca jejunaque, ut ex aridis fastis in Margamensi monasterio forte servatis desumpta videantur. Tum demum confectum iter repetit, et priorum Annalium oblitus, cum maxima verborum abundantia narrat Arturum « quinta feria ante Pascha » (tertio igitur die apr. 1203) post prandium ipsa patrui manu percussum esse, corpusque mortui in Sequanam « grandi lapide ad collum alligata » demersum, et Johannem in jus « ut de occisione tanti viri responderet » a Philippo vocatum; reum vero in Angliam aufugisse, nedum adesset; itaque « per judicium curie regis et principum Francorum abjudicatus et exheredatus est cum omnibus heredibus suis de universis terris et honoribus quos tenuit de corona regis; et fixum et justum judicium hoc[1]. » Apud plerosque rerum seu recentis seu pristinae aetatis scriptores magnam auctoritatem Margamenses Annales habuere; quid autem valet incerti auctoris, Johanni infensissimi, in remotissimo Walliae monasterio reclusi, longo post rei eventum intervallo confectum opus, ad faciendam fidem ?

Non longam huic investigationi moram afferent multo recentiores chronicorum scriptores, qualis Petrus Langtoft, qui regnante Edoardo II anteacti temporis historiam versibus descripsit[2], aut qualis Thomas Burtonius, qui post annum 1399 *Annales de Melsa* dictos[3] composuit, a Ra-

1. *Annales monastici*, ed. Luard (Rolls series), t. I.

2. *The Chronicle of Pierre de Langtoft, in french verse, from the earliest periode to the death of Edward I;* ed. Wright (Rolls series).

3. Ed. Bond (Rolls series).

dulfo de Higden, parum veridico saeculi XIV auctore plurima mutuatus.

Unum tamen restat, de quo loquar, chronicon, id est Willelmi Thornii, sancti Augustini Cantuariensis monachi, qui *De Gestis abbatum Sancti Aug. Cant.* ultimis saeculi XIV temporibus egit[1]. Is enim narrat Ludovicum regis Philippi filium, naves duodecimo die kal. junii (21° die maii 1216) Stanoram[2] applicuisse ; qui, « animadvertens quod Alexander abbas ejus loci haberet potestatem sententialiter contra eum procedendi (excommunicationem intellige), elegantem eidem abbati et conventui misit epistolam, jus sibi quod in anglicano regno competere contendebat declarando. » Hanc autem epistolam Thornius operi suo integram inseruit, Ludovici « Objectionibus », etsi nova quaedam argumenta producit, simillimam. Hos libellos diligenter considerare nunc operae pretium est, et quam fidem mereant quae Ludovicus affirmat, perpendere.

Unde « Objectiones » Rogerus de Wendover et Epistolam Thornius deprompserint, primum inquirendum est. Quod ad Rogerum attinet, incertum, cum a quo libellum acceperit ipse nec dicat, nec nos aliunde scire possimus. Epistolam vero Thornius invenit in codice bibliothecae olim Cottonianae, qui nunc inscribitur Julius D II, et cui titulus est : « Registrum cartarum monasterii S. Augustini Cantuariensis ». Qui quidem codex, cujus descriptio-

1. « Ego Willelmus dictus Thorne... exemplo priorum merito provocatus, quedam superflua a compilatione dicti Thome Sprot resecans, quedam notabilia suis in locis superaddens, aggregatis hinc inde diversorum processuum codicellis..., reliquum temporis in unum corpus propagare curavi... Intendens a fine dicti Thome, scilicet anno incarnationis Domini 1272, abbate Rogero de Cicestria debitum sue carnis tunc exsolvente, usque ad tempus meae resolutionis..., gesta et eventus tam in prosperis quam in adversis stilo recenti delegare futuris... » Twysden et Selden, *Decem scriptores,* II, col. 1868.

2. Stonar, in insula Thanet.

nem in hujusce opusculi appendice invenies, duabus partibus admodum dissimilibus constat ; quarum prior, quam solam hic consideramus, utpote in qua Ludovici litterae versentur, plurium (quatuor sane) scribarum manu diversis temporibus exarata est ; sed manifestum est Epistolam et veterrima manu et circa annum 1234 scriptam esse. Hujus cottoniani codicis notitia ad egregios viros ordinis S. Benedicti monachos pervenit, qui molem ingentis operis, cui titulus *Rerum gallicarum et francicarum scriptores*, suscepere. Hinc Epistolam transcripsit dominus de Bethencourt, et cum suis collegis, ut ipsi monent [1], communicavit, tomo XVII *Scriptorum* cum Matthaei Parisiensis Chronico addendam [2]; eodem codice usi sunt, qui recentiorem Rymeri editionem infeliciter interruptam anno 1816 publici juris fecerunt. Eam nunc epistolam attente inspiciamus.

Triplici argumento, ut jure se Angliae imperium affectare confirmet, utitur Ludovicus ; quorum primum memorat Johannem sine Terra parium suorum judicio in Anglia anno 1194 condemnatum omnem regnandi causam amisisse.

Nihil vero tale apud temporis illius rerum scriptores, nec, prae ceteris, apud Rogerum de Hoveden varios casus anni antedicti penitus edoctum, invenies. Sic enim se res apud Rogerum habent [3] : cum in eo esset rex Ricardus ut, custodia tandem liberatus, in Angliam rediret, Cantuariensis archiepiscopus coram se episcoporum, comitum baronumque conventum advocat ; qui, visis litteris quibus Johannes amicitiae cum Philippo rege pactae, et proditionis in Ricardum fratrem paratae comperiebatur, statuunt « quod comes Johannes dissaisiretur de omnibus tenementis suis in Anglia, et ut castella sua obsiderentur ».

1. *Rer. gall. Script.*, XVII, 723.

2. Illam jam antea Bulaeus (*Hist. univ. Paris.*, III, 86) a W. Thornio mutuatus erat. In *Tabula Diplomatum*, V, 67, Bulaeus et Thornius tantum memorantur, omittitur d. Bouquet.

3. *Rer. gall. Scrit.*, XVII, 564.

Eodem vero die ($10^o$ febr.) nonnulli episcopi multique Cantuariensis dioeceseos clerici, cum in capellam infirmorum monachorum Westmonasteriensem convenissent, Johannem ejusque socios anathematizarunt, « *nisi relicta hostilitate ad satisfactionem veniret* ». Tum, postquam Ricardus, elapso mense, anglicanae orae navem applicuit ($13^o$ mart.), et nulla intermissa mora Nottingham rebellantium arcem obsidere coepit, rex, cum privatum suum concilium convocasset, injuriam sibi a Johanne fratre atque a Coventriensi episcopo illatam questus est; « et judicatum est quod comes Johannes et episcopus Coventriensis peremptorie citarentur; et, *si infra quadraginta dies non venerint nec juri steterint*, judicaverunt comitem Johannem demeruisse regnum ». Utrum vero, his quadraginta diebus elapsis, factum fuerit judicium necne inquirentem satis aperte docet Rogerus, dum ostendit Ricardum in Normanniam transgressum nono die maii portum Barflet (Barfleur) appulisse, et tam fortiter bellum in Francorum regem executum esse, ut jam vicesimo octavo die maii Philippus ab oppugnando Vernolio desisteret; sed Johannem, dum haec agerentur, fratrem in castris adiisse, et matris Alienordis precibus tandem impetravisse ut in gratiam regis rediret; Ricardum vero noluisse Johanni terram ullam, ullum castellum restitui[1].

Cum autem quadraginta dierum dilatio tricesimo primo die martis data ad decimum diem maii exiret, nonne aequum est arbitrari Johannem consilio matris ad iratum fratrem properavisse, et celeri deditione exheredationis minas ca-

1. In *Historia Anglicana* Willelmi Noviburgensis (Newburgh), ed. Hamilton, II, 129 (English histor. Soc.) haec legere est : « Johanni fratri suo, cui per immoderatam atque indiscretam largitatem cornua contra se dederat, ob enormem culpam ingratitudinis atque perfidie, omne jus pristinum solenni judicio procerum abjudicavit ». De Johanne autem anno 1194 condemnato silent et Radulfus de Diceto et Rogerus de Wendover; ed. Luard, II, 404.

piti suo impendentes avertisse? Quod si quid dubii superesset, satis constat Johannem a Ricardo regem universumque heredem esse designatum[1]. Itaque mortuo fratre, Johannes totam Angliam maximamque francicarum provinciarum partem nullo contradicente obtinuit. Eo quidem die quo Johannes coronam induit, dicitur Cantuariensis archiepiscopus[2] palam proclamavisse « non jure successionis sed per electionem » regem creatum esse. Illud autem his verbis tantum intelligi potest, et jus in creando rege a primoribus regni vindicari[3], et omnem expostulationem, si quam aut Alienor Henrici II filia Castillaeque regina de regno affectando praeferret, repudiari. Nullam ergo vim habuisse dilatorium judicium ab Angliae paribus in Johannem anno 1194 dictum existimo. Arturi tantummodo jura obstabant ne Johannes regnaret; sed, ut Johanni anno 1199 expediebat Arturi jura contemnere, itâ eorum oblivisci anno 1216 Ludovici intererat.

« Preterea, ait in epistola Ludovicus, satis notum est quoniam de murtro Arturi nepotis sui in curia carissimi domini nostri regis Francie, cujus ambo erant homines ligii, per pares suos citatus et per eosdem pares fuit legitime condemnatus, ... per quam condempnationem bona sua ubicumque essent aut undecumque ea haberet per usitatas consuetudines forisfecit; et tunc iterato nobis tanquam vero heredi cessit jus regni Anglie, maxime cum adhuc de carne sua heredem non haberet[4] ».

Hunc locum aliqua ex parte subobscurũm Ludovici

1. « Cum autem rex de vita desperaret, divisit Johanni fratri suo regnum Anglie, et fecit fieri predicto Johanni fidelitates ab illis qui aderant ». Hoveden, Rolls series, IV, 83; cf. Stubbs, *Constitut. history;* I, 513.

2. Hubertus (non, ut perperam ait Thornius, Hugo) Walteri filius. Cf. Stubbs, *Episcopal succession in England.*

3. Stubbs, *Const. hist.* I, 513.

4. Etenim Henricus, Johannis filius, 13° die oct. 1207 natus est.

procuratores optime explanant; qui enim papae neganti Johannem capitis damnari absentem jure potuisse [1], responderunt: « Consuetudo est in regno Francorum quod, ex quo aliquis accusatur coram suo judice de tam crudeli homicidio quod murtrum appellatur, et ille qui accusatus non venit, vel non modo legitimo se excusat, pro convicto habetur, et tanquam convictus per omnia judicatur, et etiam ad mortem, ac si presens esset ». Quid sibi velint haec verba : « consuetudo est in regno Francorum », haud facile dixerim ; cum in hoc regno, non sit una tantum lex aut « consuetudo », quaeque autem provincia suam habeat, et Belvacensis Aurelianensisque pagus, aut, ut regiones a Philippo novissime partas nominem, Normannia, Andegavia, propriis legibus fruantur. Ut Ludovicus significare velit eam in toto regno legem vigere, nonnihil tamen dubii superest. Homicidium enim quod proprie « murtrum » vocant, id sane sceleris genus est quod ejus aetatis jurisconsulti sic definiunt : « Duo sunt, ait Glanvilla, genera homicidii : unum est quod dicitur murtrum, quod nullo vidente, nullo sciente, clam perpetratur, preter solum interfectorem et ejus complices, ita quod modo non assequatur clamor popularis juxta assisiam super hoc proditam » [2]. Hoc autem homicidii genus, quod a Johanne admissum esse omnes consentiunt, capitali poena et bonorum amissione puniendum, *si interfector foro adfuerit*, omnibus septentrionalis Franciae legibus statutum quidem est; sed, si abfuerit, quaedam aiunt, aliae negant. Ita, exempli causa, Aurelianensi atque Andegavensi legibus decretum est interfectorem non, nisi de reo praesente prius inquisitum fuerit, capitis esse damnandum [3].

1. « Ergo barones Francie non potuerunt judicare eum ad mortem, sed saltem alio modo punire eum, per ablationem scilicet feudi sui. »
2. Phillips, *Englische Reichs und Rechtsgeschichte*, II, 471.
3. Tardif. *Coutumiers de Normandie*, t. I : le très ancien coutumier de Normandie (ante annum 1202 confectus), capitulum XXXVII, De

Illud autem verisimile est per haec verba : « Consuetudo est in regno Francie » nihil aliud significari nisi quae vocatur « Franciae consuetudo », « approbata et generalis Franciae consuetudo », interdum etiam, sed rarius, « *regni Franciae* consuetudo »; quae quidem in illis regionibus vigebat quas Francorum rex Philippus ante annum 1202 possidebat[1]. Equidem non adfirmaverim hac Franciae con-

fugitivis. § 2 : « Si aliquis per aliquod crimen profugatus fuerit, et ad tres assisias et ad fora patrie clamitatus veniendi ad assisias vel ad placitum justicie patrie, et ad jus capiendum et faciendum, et, propter justiciam, venire non audeat, catalla ejus omnia capiantur et ad scaccarium reddantur, et nomen ejus scriptum in rotulis Ducis, et domus ejus comburatur si in villa fuerit; si autem domus ejus in burgo vel in civitate fuerit constituta, prosternatur et extra villam deportata in media die comburatur ... » § 4 : « Captus vero fugitivus vel membris vel morte puniatur ». P. 32. — Viollet, *Etablissements de Saint-Louis* (Soc. Hist. Fr.), Lib. I, Capit. XXVII (cujus fons est quaedam consuetudo in Andegavia et Turonia vigens), t. II, p. 39 : « Et se aucuns tex malfeitor s'en fuioit et ne peust estre trové, li bers le doit faire semonre par jugement ... et se il ne venoit dedanz les xl jors et les xl nuiz, il seroit forsbaniz en plain marchié; et se il venoit puis, et il ne poïst monstrer raisnable essoine ... li bers feroit revagier sor sa terre et seroient li mueble suen ». Cf. lib. II, capit. XVII (t. II, p. 387) : « Se aucuns est mauvaisement renomez par cri ou par renomée, la joustise le doit prandre, et si doit anquerre de son fait et de sa vie ... Et se il treuve par anqueste qu'il soit corpables d'aucun fait ou il ait poine de sang, il ne le doit pas condampner a mort quant nus ne l'acuse ne quant il n'a esté pris en nul presant fait ne en nule quenoissance, ne quant il ne s'est mis en enqueste. Mais s'il ne se viaut metre en enqueste, lors le puet bien la joustise et doit faire forsbannir hors dou roiaume ». Cf. t. I, p. 196, 293.

1. In antiquissimis parlamenti registris quae *Olim* vocare solemus, eadem vox « Francie consuetudo » semper occurrit; unum tantum aut alterum locum excipiam ubi « consuetudo regni Francie » legitur : « Secundum usus et consuetudines Francie, quando aliquis habet duas uxores ... » (anno 1259). *Olim*, I, 450. « De usu et consuetudine regni Francie approbatis et notoriis ... » (anno 1315), III, 956. « Tam de jure quam de consuetudine patrie Francie et Campanie » (anno 1315); *ibid.*, 1002. « Per generalem consuetudinem Francie et prepositure parisiensis per quam dicitur quod mortuus saisit vivum » (anno 1317); *ibid.*, 1194. » De consuetudine notoria in regno Francie ... » (anno 1317); *ibid.* Cf. Mortet, *Le livre des constitucions demenées el*

suetudine decretum fuisse ut homo qui « murtrum » commiserit, capitis damnaretur[1]. Hoc tantum rogabo, quaenam possit esse hujus Franciae consuetudinis vis, erga Johannem Angliae regem, in Anglia, non autem in Francia, natum viventemque, nepotis Arturi qui in Britannia natus, atque in Normannia, non autem in Francia, occisus fuit, interfectorem ?

Ut autem ad propositum redeam, papa recte, mea sententia, opinatus est Ludovicum errasse, vel potius, quod a veritate non multum abhorrere mihi videtur, Ludovicus dubiis vocibus de industria usus est, quo facilius papam calumniando falleret.

Utcumque ea res se habet, si quis capitis damnatus est, eum praeterea bonis omnibus spoliandum esse constat. Sin autem filios filiasve heredes habeat, patrisne bona et illi amittent ? Quod fieri posse negat papa, immo Angliae imperium Henrico Johannis filio sine controversia deberi affirmat, « quia rex Anglie non commisit crimen lese majestatis nec crimen hereseos, pro quibus tantum filius exheredatur pro delicto patris ». His vero oratores Romam a Ludovico missi respondent : « Consuetudo est in regno Francie quod, ex quo aliquis damnatur ad mortem, proles

*Chastelet de Paris*, p. 9 (apud *Mém. Soc. Hist. Paris*, t. X). — Registra quae *Olim* dicuntur, ab anno 1254 scribi coepta esse compertum est ; ante hoc tempus, cum pauca monumenta judiciorum in Parlamento actorum supersint (quae egregius vir Boutaric collegit ediditque), nullum invenies quod ad causam criminalem pertineat. *Actes du Parlement de Paris*, t. I.

1. Illud saltem inter judicia anno 1268 acta legitur : « Ballivus Viromandensis saisiverat pro rege apud Villamnovam in Belvacesio bona quorumdam *malefactorum* loci ejusdem, *quibus multrum imponebatur*. Conquerebantur major et jurati ejusdem loci super hoc ... Ad hoc respondebat ballivus quod dicti major et jurati super hoc non debebant audiri cum, *secundum generalem consuetudinem Francie*, bona ipsa sint domino regi commissa, *si praedicti malefactores de predicto maleficio convincantur*. Demum, auditis hinc inde propositis, determinatum fuit quod, *secundum consuetudinem Franciae* ... bona ipsa domino regi remanere debebant. » *Olim*, I, 714.

suscepta post sententiam damnationis succedere non debet ». Alioquin eam rem amplius disputare recusaverunt. Mihi vero eadem venia concedatur, ut qui nullum apud nostros saec. XIII jurisconsultos exemplum repererim. Nec, si quod inveniatur, multum proderit; nam, quemadmodum procuratores civilem quamvis legem in Francia vigentem prae se ferunt, ita Innocentius canonici, ut videtur, juris auxilio nititur, vix ut inter se consentire possint.

Si ita lege cautum est ne a patre capitis damnato hereditatem caperent liberi, spoliato Johanni quis sit successurus, ego quidem non dijudicare aggrediar; longum enim et a proposito meo alienum esset ea de re disceptare; satis sit dicere Ludovicum summo opere conatum esse ut uxoris suae, quam Henrici II filia, Alienor nomine, Castiliae regina, pepererat, jura ad obtinendum Angliae imperium pro certis agnoscerentur, atque ipse verus exheredati Johannis successor existeret [1].

1. « Filii fratris, aiebant procuratores, non debent succedere, ex quo tempore late sententie frater vivebat ... ». Peropportune egregius vir B. Hauréau, latinam medii aevi poesim tantum edoctus, illos versus in « Registro veteri » Philippi Augusti (pro quo Leopoldo Delisle grates maximas debemus), detexit, primusque publici juris fecit :

> Annus erat Domini nonus cum mille ducentis
> Mensis nona dies quam septimus indicat ymber
> Quando Blancha parens, iterato nomine matris,
> Optato partu Francis dominum dat et Anglis;
> Quem facit insignem Philippi nomine regis,
> Ut successor avi teneat cum nomine mores.

Voy. *Journal des savants*, janv. 1884; cf. *Le premier registre de Philippe-Auguste*, p. 93 v°. In secundi versus fine Hauréau non recte legebat « imbris » pro « ymber »; post « mensis nona dies », et supra lineam, legere est : « circa primam ». — Quid autem hi versus sibi velint optime interpretatus est jam dictus Hauréau : Nono septembris die 1209 natum esse Philippum, Ludovici et Blanchae filium; cujus nomen avi Philippi regis nomen referebat ut et avi mores referret. Blancha autem ut quae regem Angliae avunculum haberet, jura ad capessendam Angliae coronam habebat, atque ad filium transmittere poterat. Qui quidem versus Philippidos locum supra, p. 17, memoratum illustrant.

Nunc ad Ludovici litteras redeundum est : « nos vero, ait, pro jure nostro extunc eidem Johanni guerram movimus, quam contra ipsum continuavimus, sine interruptione, pace vel treuga, usque ad istos dies. De treuga [1] enim que postmodum inter carissimum regem et genitorem nostrum et ipsum facta fuit, nec fuimus requisiti, nec alium requisivimus, licet presentes essemus ». Postrema haec verba verane an falsa sint certis rationibus probare nequeo. Indutiarum quidem Johanni annis 1206 et 1214 a Philippo concessarum quae adhuc servavimus exemplaria [2], Ludovici nomen praetermittunt ; quid autem inde sequitur ? Quis enim credat his indutiis a patre pactis filium non obligatum esse ? Quis contendat Ludovicum armis nunquam abstinuisse, neque ullam, ab anno 1202 quo Johannes damnatus est ad annum 1216 quo damnatum regem Philippi filius regno expellere aggrediebatur, « pacis vel treuge interruptionem » fuisse ?

Tertio argumento Ludovici admodum assentior scribentis se ab Angliae baronibus ideo vocatum esse quod Johannes, spreto nationis jure, populum oppressisset ; se autem ea mente venisse ut ecclesiae regnique libertatem servaret ; hoc tantum in istis litteris verum esse opinor. Ludovicum non ut heredis nomine Anglia potiretur Johanni bellum indixisse, sed a regni proceribus appellatum esse ut eis ad tyrannum ejiciendum [3] auxilio foret, omnes temporis hujus rerum scriptores, omnia litis instrumenta probant. Vera igitur fictis Ludovicus callide miscet ; denique minas rationibus adjicit, hoc sperans fore ut abbas excommunicationem in se mittere non audeat.

Dum autem Ludovici litteras ita reprehendo, legatorum

1. Hoc in loco codex cottonianus habet : « de guerra enim »; d. Bouquet recte corrigit : « de treuga enim ». XVII, 723, n.

2. Delisle, *Catal.*, 1006, 1506.

3. « Quas oppressiones vos melius nostis quam nos, ut qui eas familiari sensistis experimento » ait ipse Ludovicus.

ab eo missorum relationem simul arguo ; quae, ut illas interpretatur, ita quaedam addit, nonnulla omittit, nihil tamen quod ad causam ipsam pertinet, mutat. Quemadmodum Ludovicus, cum abbati sancti Augustini scriberet, plerumque mentitus est, ita ejus procuratores papam Innocentium mendaciis fallere nituntur ; neque magnum opus aut arduum conati sunt, cum Innocentius ipse, anno jam 1205, ut supra memoratum est [1], negaret se « causam, modum et ordinem aliasque circumstantias » novisse.

Supervacaneum est quaerere utrum Ludovicus ipse mendacii artifex fuerit an patris Philippi consilia exsecutus sit. Hujus quidem quae fuerit prudentia, astutia, fallacia, plurimis testimoniis novimus ; illum autem bellica virtute potius quam ingenio valuisse a scriptoribus fide dignissimis [2] accepimus. Praeterea, si Ludovici juvenilem aetatem consideras, quem annis 1202-1203, tum cum haec fiebant, sexdecim aut septemdecim annos natum esse constat, fieri potuit ut horum temporum memoriam male tenuerit. Philippus autem, cum regni sui rebus semper invigilaret, Anglorumque imperium in Francia usurpatum minuere aut etiam abolere studeret, dignus est cui fabulae inventio actioque tribuatur. Quidquid id est, omnium quae supra dicta sunt summam breviter facere nunc licet : Johannem propter Arturi necem damnatum esse aequales hujus temporis testes negant : unus affirmat Ludovicus, quia ipsius hoc affirmare maxime intererat ; huic uni ergo nullam fidem adhiberi posse recte judicabimus.

1. Pag. 8.

2. « Infirmo corpore, imbecilli ingenio, Ludovicus ab ipso patre dictus est *homo delicatus et debilis* (*Guill. de Pod. Laur.*, c. 34); unde nos vix, ac ne vix quidem intelligimus qua de causa istud *Leonini cordis* cognomen acceperit, quo manet apud historicos insignitus ; paulo aptius *pacificus* etiam *leo* appellatur, quanquam, ut vera loquamur, neque bellicis neque pacificis virtutibus artibusve unquam inclaruerit ». *Rer. gall. Script.*, t. XIX, præfat. p. lxxix (1833).

## § III.

### QUID DE VENETENSI CONCILIO PUTANDUM.

Ut miserandum Arturi exitium Francorum regi opportunissimum fuit, ita Britonum animos acerbissime commovit. Etenim adolescens ille, cum antiquum fabulosumque regem Arturum nomine referret, magnam sui expectationem Britonibus concitaverat[1], eosque in hanc spem adduxerat ut Britanniam, Anglorum imperio subductam, in libertatem aliquando vindicaret. Itaque, quo confidentius in futurum prospiciebant, eo majorem, adolescentis audita nece, dolorem conceperunt. Igitur mortuo Arturo, cum et ejus soror Alienor carcere teneretur, in dubio erant Britones quemnam sibi ducem habituri essent, et qua ratione liberam servare possent patriam, cui certae tanquam praedae vicini principes inhiarent. Quid autem in tanto rerum discrimine Britanniae proceres egerint vel peritissimi scriptores perperam enarravisse mihi videntur.

Apud recentiores enim, seu dominum A. Lobinellum[2], seu imitatorem ejus et quasi successorem d. Moricium[3] perlegeris, illud comperies nempe Britanniae proceres statim post acceptum mortis nuncium in Venetensem civitatem[4] ea mente convenisse ut de re tam ancipiti tractarent et de gubernanda provincia consulerent; tum duos ex ipsis, Pe-

1. Aug. Thierry, *Hist. conq. Angl.*, (ed. 1860), IV, 108.
2. G. A. Lobineau, *Histoire de Bretagne*, 2 vol. in-fol. (1707).
3. P. H. Morice de Beaubois, *Histoire de Bretagne*, 2 vol. in-fol. (1750-56).
4. Vannes.

trum Redonensem episcopum[1] et Ricardum Normanniae marescallum ab eis ad Francorum regem missos esse, qui injuriam quererentur, auxiliumque peterent; Philippum vero, juris scilicet observantissimum, Johanni diem, ut coram Paribus Franciae adesset, dixisse; tum demum omnia feoda quae idem tanquam Francorum regis vassallus possideret, abjudicata esse; quam sententiam quindecimo die post admissum scelus dictam esse nonnulli affirmant[2].

Ut autem haec omnia veritati proxima sint, res acta est, atque irritus hic meus labor evanuit. Plurimum ergo mea refert alios testes proferre atque audire.

Quod ad Johannis damnationem attinet, Lobinellus Moriciusque Henricum Knyton et Nicholaum Trivet, auctores olim magni factos, producunt. Dum tamen hic de damnatione tacet[3], ille contra ea quae sequuntur memorat : « in primordiis regni sui rex Johannes appellatus fuit ad curiam regis Francie super mortem Arturi nepotis sui per quemdam militem strenuissimum, parentem proximum ejusdem Arturi; et, quia vocatus non comparuit, saisita fuit in manu regis Francie Normannia hereditas sua; iterumque citatus cum non compareret, . . . judicio curie illius perdidit eam totam[4]. » Hoc jam pulchre novimus, neque ita magni mo-

1. Petrus I Redonensis episcopus 1199-1210. *Gallia Christiana.* XIV, 752. Cf. Lobineau, II, Preuves, col. 206 : « P. Dei permissione Redonensis episcopus, domini Arturi cancellarius. »

2. Cf. A. de La Borderie, Britonum historiae peritissimum : « A la première nouvelle du meurtre d'Arthur, les Etats de Bretagne, réunis à Vannes, poussèrent un formidable cri de vengeance, demandèrent justice au roi Philippe-Auguste, suzerain de Jean sans Terre. La cour des pairs condamna le meurtrier félon à la perte de tous les fiefs qu'il tenait en France. » *Revue de Bretagne et de Vendée,* 2e sér., t. V (1864), p. 29.

3. Apud Nic. Trivet, haec tantum : « Rotomagi moritur, de cujus morte Johannem quidam ejus emuli infamarunt; » ed. Hog (English hist. Soc.), p. 171.

4. Twysden et Selden, *Decem Scriptores,* col. 2420. Henricus Knighton, auctor saeculi quintidecimi, chronicon Walteri de Hemingburgh (seu

menti Henricus Knyton habendus est. Quod autem Venetense concilium spectat, Benedictini nostri jurare in verba Petri Baldi (Le Baud), Petrus autem ille Roberti Blondelli auctoritate niti videntur [1].

Is vero Blondellus [2] libellum, qui *Oratio historialis* inscribitur, anno 1449 ea mente confecit, ut Normanniam Caroli VII Francorum regis jure esse, eamdemque ab Henrico VI rege Angliae injuria occupatam possideri [3], quam certissimis testimoniis probaret. Itaque inhumanum Arturi parricidium et Johannem « ducatu Northmannie et aliis dominiis rectissimo Parium curie judicio privatum » commemorat, atque unde ea quae narrat hauserit candide indicat : « Hec, ait, ex scriptis Vincencii, Ricardo de Sancto Victore, ex summorum pontificum Francieque chronicis fideliter decerpsi [4]. » Quid autem Vincentii Bellovacensis *Speculum historiale* nos edoceat, jam supra retuli [5]. Praeterea quis Ricardus ille de Sancto Victore sit, dubium, nisi forte sit Ricardus Pictavinus, Cluniacensis monachus, intelligendus, cujus quidem chronicon anno 1173 terminari

Hemingford) paene ad verbum transcripsit; hic autem Walterus, anno 1347 mortuus, dum res a Johanne gestas enarrat, nullam fidem meretur (ed. Hamilton, *Engl. hist. soc.*, 1848). Cf. Pauli, *Gesch. von England*, III, 890.

1. « Dont dit Robert Blondel que lesdits barons de Bretagne, poursuivans à avoir vengeance du roy Jean, le firent appeler à droict par devant le roy Philippe. » *Hist. de Bret.* (1638), p. 210.

2. Quid de ejus vita scriptisque censeat Vallet de Viriville, vide in *Nouv. biogr. générale*, v° Blondel.

3. « Tuam (Carolum enim alloquitur) eximiam strenuitatem, rex christianissime, fictis Anglorum treugis postea minime irretitam fore, publica experientia comperi... Presenti opere jura corone, Anglorum bella in regno Francie exactis diebus injusta fuisse, necnon quamplura jugi memoria digna, tua prefata regia majestas poterit inspicere. » Bibl. nat., ms. lat. 13838, initio. — Translationem hujus operis Henrici Anquetil manu scripti, gallice anno 1460 exaratam, vide ibid. f. fr. 17516.

4. Fol. 79.

5. P. 20, n. 2.

constat[1]. Tum summorum Pontificum chronicon idem esse arbitror ac Martini Poloni chronicon, medio aevo adeo retractatum, adauctum, temeratumque, ut per se fide indignum plerumque sit[2]. Quid tandem de magnis Franciae chronicis dicam, nisi quod ea, dum res a Philippo Augusto gestas referunt, Rigordum, cujus narrationem supra perpendimus, ad verbum transcribunt[3]? Nihil ergo novi, nihil certi per R. Blondellum aut per Petrum Baldum discere est.

Unum atque alterum scriptorem amplius referre mihi liceat: Venetense quidem concilium paucis verbis Alanus Bouchardus in Magnis Britanniae Chronicis[4] anno 1507 primum in lucem editis memoravit; sed, ut credulus fabularum narrator visus est, ita multum se abstinuit ne ullum testem produceret. Bertrandus vero d'Argentré tum ab Alano Bouchardo (e. g. quomodo Arturus a Johanne *Caesarisburgi* interfectus sit), tum a Petro Baldo[5] plura se mutuatum esse confitetur.

Quos igitur apud recentiores rerum scriptores nusquam reperire mihi contigit, illosne testes propriis opibus quaerere aggrediar[6]? Multorum quidem monumentorum a Bene-

1. Elie Berger, *Notice sur Richard le Poitevin.* Thorin, 1879; cf. Delisle, *Bibl. Ec. des Ch.*, XXXI, p. 308.

2. « L'an de N.-S. 1202, Jehan, roy d'Angleterre, print et tua a Mirabel (Mirebeau) en Poictou Arthus, conte de Bretaigne, par quoy il fut appellé et accusé devant le roy de France, duquel il estoit vassal, et pour ce qu'il ne vout comparoir, il fut par jugement des pers de France exhérédé et débouté de la duché d'Acquitaine et de toute la terre qu'il avoit ou royaulme de France. » *Chronique martinienne,* éd. Vérard, cap. CCXIX, fol. CXXVII.

3. Ed. P. Paris, IV, 122.

4. Alain Bouchard, *Les grandes Chroniques de Bretagne.* Paris (1507), in-fol., goth.

5. *Hist. de Bret.*, 3e édit., 1618.

6. Quae sint historiae Britanniae fontes nondum satis explicate abundanterve dictum est. Cf. Ogée, *Dict. histor. et géogr. de la prov. de Bretagne* (2e édit. 1853); Le Jean, *La Bretagne, son hist. et ses histor.* (1850); Sacher, *Bibliographie de la Bretagne* (1881).

dictinis collectorum[1] copiam habemus. Certine tamen aliquid ex eo fonte hauriri potest? Ut autem brevissimos quosdam Annales qui nihil nos docent, praetercam, de Venetensi concilio tacet *Chronicon* illud *Briocense*[2] quod saeculo xv° exaratum fuisse videtur. Chronicon vero Britannicum alterum « ex variis chronicorum fragmentis in veteri collectione ms. ecclesiae Nannetensis repertis, quae laudantur a Petro Le Baud sub hac ut plurimum appellatione *les Chroniques annaulx* », cum Arturi quidem necem bis, primo ad annum 1202, deinde ad annum 1203, dissimilibus quidem verbis, memoret, Venetense tamen concilium omittit[3].

Si Johanni de La Haye inepto quidem et credulo rerum « Franciae et Galliae aquitanicae[4] » scriptori fidem adhibere liceret, mira sane audiremus. Narrat enim Arturum Chinone (*sic*) interfectum esse, corpusque ejus in flumen Vigennam (la Vienne) demersum, tum Ludovicum, Arturi matre Constantia obsecrante ut injuriam sibi illatam persequeretur, Stampas parlamentum suum convocavisse, Johannique diem dictum; mortua autem Constantia (secundo, ut perperam ait, septembris die anno 1210[5]), Guidoni Thoarcensi Britanniae comiti[6] imperium esse delatum; denique

1. Ad calcem operum a Lobinello Moricioque confectorum; cf. Bibl. nat.; mss.; *Blancs-Manteaux*.

2. Morice, *Preuves*, I, 38; cf. *Revue de Bretagne et de Vendée*, ser. 4, t. II (1872), p. 189.

3. Lobineau, II, 351.

4. *Les mémoires et recherches de France et de la Gaule aquitanique*, du sieur Iehan de La Haye, baron des Coutaulx, lieutenant général en la sénéchaussée de Poictou, etc. (1581). Cf. Papiers de dom Brient, Bibl. nat., f. fr. 22308, fol. 188 r°.

5. Constantia obiit sept. mense anni 1201. Fortasse pro « mil deux cent *diz* », legendum « deux cent *deuz* ».

6. Constantia, mortuo viro Galfrido, Henrici II filio, Guidoni Thoarcensi nupserat, qui ex ea filiam genuit, Aliciam nomine, Arturi Aliencrdisque sororem uterinam; quae quidem Alienor, anno 1202 a Johanne capta, in carcere anno 1240 obiit; Alicia vero Petro Mauclerc

hunc, ut homagium Francorum regi debitum praestaret, Ordines Britanniae advocasse; « cui concilio, addit J. de La Haye, auctor noster adfuit; idemque dicit hoc concilium novem episcopis, baronibus novem, novemque civitatibus constitisse[1]. » Quisnam igitur auctor ille est tam gravis, rerum temporis sui tam peritus et quasi particeps? Monachus quidam, cujus nomen abest[2], certissimus, ut ait J. de La Haye, testis, « quo nemo unquam magis timuit ne falleretur neu mentiretur[3]; » qui, cum Constantiae, quae mater Arturi fuerat, esset familiarissimus[4], chronicon Novimonasterii Pictavensis « cum brevibus pulchrisque notis[5] », a tempore quo Petrus Mauclerc cognomine Britanniae comitatum suscepit, usque ad suam mortem continuando perscripsit.

Deceptusne ab eo anonymo auctore in tam manifestos errores Johannes noster inciderit, an ultro haec omnia finxerit, ego affirmare aut negare nequeo. Hactenus nullum Novimonasterii chronicon, seu publici juris factum, seu nondum typis mandatum fateor me novisse. Hujus loci quidem historiae fragmentum, cujus est auctor Martinus Novimonasterii monachus in tomum III *Thesauri novi Anecdotorum* inserendum curavit d. Martenius[6]; hoc autem e ms.

anno 1213 nupsit, atque ab ea antiqua ducum Britanniae domus quasi renasci visa est.

1. P. 171.

2. P. 78, Johannes noster hunc monachum Porus; p. 172 autem eum I. Ferus nomine vocat.

3. P. 172 : « mais c'est l'autheur que j'aye oncques leu qui a le plus grand peur de faillir et de mentir. »

4. P. 164 : « Il estoit du temps et, comme je pense, du service de Constance. »

5. P. 8 : « Et vous diré avec la cronique gardée en l'abbaye du Moutierneuf à Poictiers, qui est autentique et dignement escrite à la main, avec breves et belles observations, laquelle j'ai en mes mains. »

6. Eam Martenius « ex ms. Pictav. » deprompsit, III, col. 1210. — Dreux du Radier, in *Bibl. histor. et crit. du Poitou,* I, 275, rogat : « si

Pictavensi codice depromptum, ad nos pervenit mutilum, neque ultra dedicationem ecclesiae Novimonasterii ab Urbano II papa celebratam progreditur. « Caetera desunt », ait Martenius. Quae cum ita sint, alterutrum necesse esse video : quod si ea omnia quae nos docet Johannes noster in chronico Novimonasterii, quodcumque est, invenit, mendaciorem testem produxit, quam ut quidquam auctoritatis in eo esse putetur; sin autem ea ex industria finxit, quaenam fides isti nebuloni adhibenda est?

Quid plura? Nullus aequalis illius aetatis testis mihi praesto fuit, qui nos de his quae in Venetensi concilio Britanniae proceres dixerint aut decreverint certiores faciat. Atenim quid mirum, si nullum unquam tale concilium fuit? Ego vero persuasum habeo ea, quae a britannicae historiae scriptoribus ea de re memorata sunt[1], plerumque recta et

ce serait ce même Martin que La Haye appelle Férus dans ses Mémoires. »

1. A. Bouchard, fol. CCXIX; Lobineau, I, 189; Ogée, *Dictionnaire*, verbo Vannes, 1840, t. II, 946. — Cf. d. Brient : « cette assemblée s'est faicte avant le 12 juillet 1203, car Hervé de Léon, qui y étoit, mourut ce jour-là (*Necrol. Landuen*). » Bibl. nat. (Blancs-Manteaux). Vol. 22308, fol. 184.

Haec sunt nomina baronum Britanniae quos Lobinellus (nescio qua auctoritate) ait Venetensi concilio adfuisse : Guido Thoarcensis(Thouars), Alanus Henrici filius (Penthièvre), Stephanus Conanusque ejus fratres; Guiomar, Herveus, Conanus et Soliman (sic) de Leon, Andreas de Vitreio (Vitré), Johannes de Dol, filiusque ejus Gedouinus; Oliverius Rohannensis vicecomes atque ejus fratres filiusque; Juhellus de Mediana (Mayenne); Galfridus de Castro Briandi (Chateaubriand); Willelmus de Derval, Galfridus de Ancenisio (Ancenis); Alanus, Jacobus et Galuron de Chateaugiron; Alanus de Rupeforti (Rochefort); Oliverius de Dinano, Richardus Normanniae marescallus; Ascot et Garsuire de Retz; Houabes (*sic*) et Radulfus de Monteforti; dominus de Loheac, Rollandus de Rieux, Galfridus de Poenceio (Poencé); Johannes de Montealbano; Alanus de Rupe, Stephanus de Ponte Castelli (Pontchâteau); Fulco Painel dominus de Albineio (Aubigné); Herveus et Galfridus de Bellomanerio (Beaumanoir), Peanus de Malo stricto (Malestroit); Redonensis et Cornwallensis marescalli; etc. » Huic simillimam nominum seriem in sequenti pagina Lobinellus edidit, quam ab Andrea Duchesne (*Scriptores*, t. V) mutuatus, ait in quodam rotulo tempore Phi-

sincera esse; quam sinceritatem aperte, mea sententia, testantur nomina eorum quos concilio adfuisse dicunt, ab his scriptoribus curiose relata, praesertim cum non ficta sint ea nomina; facile enim ea in chartis ceterisque hujus temporis instrumentis reperies.

Cum igitur Britannici auctores nos deficiant, forsan aliis ducibus veritati propius accedere licebit. At, nisi fallor, rectam viam investiganti Radulfi Coggeshalensis *Chronicon Anglicanum* in eo quoque loco ostendet, apud quem res, Arturo capto, ita evenisse legimus : « Guillelmus de Rupibus [1], quidam vir potens ex proceribus Andegavie, cum aliis ba-

lippi Augusti conscripto inventam esse. Nominum quae sequitur series, in « Registro veteri » Philippi circa annum 1204, ut apparet, conscripta, plerosque Britanniae barones a Lobinello nominatos continet : « Milites Britannie : Alanus filius comitis (i. e. filius Henrici comitis); Guiomar de Lion (Léon), Herveus de Lion (obiit anno 1218. Morice, *Hist. Bret.*, Preuves, I, 107); Comes Guido de Toarcio; Paganus de Malostricto (Malestroit; Morbihan, arrond. Ploermel); Eudo filius comitis; Joscellus de Rohan; Radulfus de Monteforti (Montfort-sur-Meu, Ille-et-Vilaine); W. de Monteforti; Petrus de Loheac (Ille-et-Vilaine, arrond. Redon. Petrus anno 1211 obiit. *Rer. gall. Script.*, XVIII, 332); Roaldus vicecomes; W. de Guirgia (*sic*); Berardus de Braim; Andreas de Vitreio (Vitré, Ille-et-Vilaine); Galfridus de Filgeriis (Fougères, Ille-et-Vilaine); W. de Filgeriis; Galfridus Giron; Alanus de Castro Giron (Châteaugiron, Ille-et-Vilaine, arrond. Rennes); W. de Albigneio; Juellus de Mediana (Mayenne); Oliverius de Dinam (obiit anno 1209. Morice, Preuves, I, 107); Johannes de Dolis (Dol); Galfridus Spine; Oliverius de Tintiniac (Tinténiac, Ille-et-Vilaine, arrond. Saint-Malo); Herveus de Bellomortario (*sic*); Galfridus de Castro Brienc. (Châteaubriant, Loire-Inférieure); Galfridus de Ancenisio (Ancenis, Loire-Inférieure); W. de Cliçon senex; W. de Cliçon juvenis; W. Richardus de Veuz (*sic*); W. de Plesseiz; Bernardus de Machequeu (Machecoul, Loire-Inférieure, arrond. Nantes); Haculfus de Radiis; Oliverius de Rupe; Eudo de Ponte; Rollandus de Rex; Galfridus de Hiheric; Alemannus de Albigneio (Aubigné, Ille-et-Vilaine, arrond. Rennes.) » Delisle, *Le premier Registre de Philippe-Auguste*, p. 75. Ipsa esse militum nomina quos Guido Thoarcensis secum ad Montem Sancti Michaelis oppugnandum anno 1204 adduxit, Lobinellus haud forsitan injuria arbitratur; nonne conjectura arbitratus est eosdem Venetensi concilio adfuisse?

1. Vitam clarissimi hujus viri vide in *Bibl. de l'Ec. des Chartes*, 6e série, t. V.

ronibus totius Britannie, deprecati sunt dominum regem (Johannem), quatenus eis traderet Arthurum, quem in sua custodia detinebat. Quo nolente, mox unanimiter conspiraverunt contra regem et rebellare ceperunt[1]. » Quo audito, quidam viri Johanni suasere : « ut nobilis adolescens (Arturum intellige) oculis et genitalibus privaretur, et sic deinceps ad principandum inutilis redderetur[2]. » Hoc autem consilium crudeli patruo placuit, missique sunt qui jussa exsequerentur; verumtamen Hubertus de Burgo dictus, cui miseri principis custodia erat commissa, ratus fore ut Johannem saevitiae brevi poeniteret, ceteris simul assentientibus, qui in oppido residebant, militibus, vetuit ne juvenem adiret carnifex; sed, « volens et domini regis iram ad tempus mitigare, ac Britonum sevitiam cohibere, fecit per castellum et per totam provinciam divulgari, quod sententia regis effectui esset mancipata, et quod dominus Arthurus pre cordis tristitia et vulnerum acerbo dolore diem clausisset extremum; que fama per xv dies per utramque diem (*sic ; corrige regionem?*) volitat incessanter. Denique classicum per vicos et castella quasi pro anima ejus pulsatum est, vestes ejus hospitali leprosorum distribute. Divulgatum est etiam quod corpus ejus ad abbatiam de sancto Andrea ord. Cisterciensis delatum sit[3], ibique sepultum. » Quo audito, cum, animis minime sedatis, Britones majori etiam ira exacerbarentur, conjuraverunt « quod nusquam deinceps ab expugnatione regis Anglie conquiescerent, qui tam detestabile facinus in dominum suum et nepotem proprium exercere presumpsisset. »

Quid obstat quominus iidem Britones, postquam eo ipso tempore in Venetensem civitatem convenissent, a Philippo

1. *Rer. gall. Script.*, XVIII, 96 ; cf. ed. Stevenson (Rolls series).
2. Narrationem non multum ab hac dissimilem apud Holinshed (*A chronicle of England*) invenit Shakespearius, atque in suum *King John,* act. IV, sc. 1, transtulit.
3. Saint-André de Gouffern, prope Falesiam (Falaise).

Francorum rege auxilium per legatos petierint? At minime inde sequitur Pares Franciae Lutetiam aut Stampas convenisse, Johannique diem dixisse; immo nullo modo fieri potuit ut sententia quintodecimo die post Arturi necem, ut ait Moricius[1], lata sit. Nam, ut paulo post addit Radulfus, simul ac compertum est quantam in omnium animos Arturi mortui nuncius invidiam conflaret, subito proclamatum est Arturum vivere; nec Johannes ipse moleste tulit quod Hubertus mandatis non paruisset. « Dicebant etiam quidam militum domino regi nequaquam ulterius milites se inventurum qui castella custodirent, si tam infaustum judicium de domino Arthuro nepote suo exercere presumpsisset; nam, si contingeret aliquos deinceps capi milites a rege Francorum, similem statim sortirentur vindictam. »

Ita quae recentes rerum britannicarum scriptores partim vera, partim falsa narrant, ea *Chronicon anglicanum* corrigit atque interpretatur. Quem si ducem sequi desieris, nihil jam certi supererit, nullus jam locus ubi indagantis vestigia tuto possint consistere. Etenim si Venetense concilium statim post veram, non simulatam, Arturi necem convenisse pro certo habueris, illud ego rogabo primum quonam tempore ea mors acciderit, deinde quomodo fieri possit ut Britannici auctores rem tam anglicis quam gallicis scriptoribus omnino ignotam cognoverint, utque, cum ne sciant quidem ubi Arturus interfectus sit, supplicii diem, nempe tertium aprilis diem 1203, diemque judicii, nempe post mortem quindecimum, confidenter denuntient!

Nunc vero diuturnae hujusce inquisitionis summam paucis verbis colligamus.

De sententia propter necem Arturi lata silent tum Philippus Francorum rex, quamvis multum illius referret Johannis memoriam infamare, tum Innocentius papa tertius, qui

1. *Hist. de Bret.*, I, 133. Contra autem Daru. *Hist. de Bret*, I, 417.

nunc Philippo, nunc Johanni, nunc Ludovico infensus, occasionem crimini vertendi huic nefarium scelus, illi acerbissimum judicium saepissime nactus est; tum omnes aut anglicarum, aut francicarum rerum peritissimi scriptores, qui ante annum 1216 viventes, temporis sui annales, simul ac res gerebantur, posteris reliquerunt. Tempore autem mutato, aliud sentire homines videntur; quae enim silentio antea opprimebantur, ea, ubi fert ita utilitas, luce clariora fiunt. Itaque, Philippo patre auctore, Ludovicus cum et in Angliam a baronibus vocaretur, et Ecclesiae minis esset obnoxius, et Anglici regni obtinendi cupiditate arderet, tum Meleduni, tum Romae, tum in Anglia impudenter palam profitetur Johannem nepotis interfectorem a Paribus Franciae capitis damnatum, ideoque indignum esse qui corona diutius frueretur, nedum eam liberis traderet. Quemadmodum omnia Johannem sceleris, ita Ludovicum mendacii coarguunt, nec magis illius integritati quam hujus sinceritati credere est.

## § IV.

### QUIS VERUS FUERIT RERUM ORDO.

Postquam plerosque rerum scriptores qui de morte Arturi disseruerunt, errasse pluribus adhibitis rationibus ostendi, nunc quale et quo tempore hoc latum sit, quod verum esse opinor, judicium, considerare oportet. Finem ergo opusculi mei faciet brevis narratio rerum quae Johanni perniciem, Philippo autem victoriam tam brevi tempore attulerunt.

Qua causa bellum inter Johannem Philippumque iterum anno 1201 conflatum sit, nemo est quem fugiat, atque ego jam supra satis aperte memoravi. Itaque compertum est, cum Johannes Isabellam Taillefer cognomine Engolismensis comitis filiam unicam heredemque, sponso [1] Hugoni prope per vim abreptam, tricesimo die augusti 1200 uxorem duxisset [2], hunc ipsum Hugonem, ejusque fratrem et multos Pictaviae proceres adversus regem Angliae inter se conjuravisse. Sequenti autem anno, cum ab Anglia in Franciam cum conjuge Johannes reversus esset [3], ad occi-

1. « Quam idem (Marchiae) comes in suam per verba de presenti receperat, et ipsa illum receperat per verba de presenti ». R. de Hoveden apud *Rer. gall. Script.*, XVII, 605.

2. Cf. Lecointre Dupont, *Mém. de la Soc. des Antiq. de l'Ouest*, t. XII, (1845), p. 127.

3. Cf. *Itinerarium regis Johannis* a Th. D. Hardy confectum atque initio libri cui titulus *Rotuli litterarum patentium in Turri Londinensi asservati* 1201-1216, publici juris factum. Mense maio Johannem Lutetiam venisse, ibique a Philippo rege magnificentissimo

tanas provincias, ab Alienora matre aegrotante vocatus [1], et totius Pictaviae rebellionis certior factus, perrexit. Igitur, quo majorem animis terrorem incuteret, mercenarios plurimos, militiae dudum assuetos, conduxit [2], hostilique apparatu Chinone, imperatoris quam judicis similior, curiam suam anno 1201, mense julio, coegit; eoque Pictavinos barones tanquam feloniae reos in jus vocavit, et proprio nomine Marchiae Augique comites adesse jussit, innocentiam suam purgaturos. Sed cum dies contra solitum, ut videtur, morem dicta esset eosque fore tutos fide data promittere Johannes noluisset, ambo Radulfus Hugoque, veriti ne vincula pro justitia Chinone sibi pararentur, abfuerunt, nec commiserunt ut se regi vel potius hosti dederent; quin etiam omni erga dominum suum fide exuta, Philippum superiorem dominum appellaverunt, quo judice Johannes « tanquam pari suo [3] » responderet. Itaque « desiderio fraudatus [4] » Johannes in Normanniam infecto negotio reversus est. Cum autem acerrimos hostes a tergo relinqueret, Angliae rex ministris suis imperavit ut Lezinannorum oppida « pro defectu servitii [5] » vi occuparent, atque ab omni suspecto barone aut vadimonia aut obsides exigerent; tum cum socero suo Engolismensi

hospitio acceptum fuisse narrat Rigordus. *Rer. gall. Script.*, XVII, 53; Delaborde, 150. Cf. Chronicon Turonense, *Rer. gall Script.*, XVIII, 295.

1. Rymer, ed. 1739, I, pars 1ª, p. 39.

2. Roger de Hoveden, apud *Rer. gall. Script.*, XVII, 613; ed. Stevenson, IV, 175. Johannem a die 26 jul. ad diem 2 aug. Chinone (Chinon) fuisse, 3 d. aug. Loduni (Loudun), 19 d. Chinone, 29 d. Salmurii (Saumur), a die 30 aug. ad d. sept. 9 Chinone, 10 d. sept. Castellinovi super Sartham, die 24 Vernolii, octobris die 9 Mirabelli (Mirebeau), d. 13-14 Chinone; tum demum in Normanniam reversum monet nos regis *Itinerarium, loc. cit.*

3. Hoveden, *Rer. gall. Script.*, XVII, 613: « quod nemini responderet nisi *patri* suo ». Recte corrigit Stevenson, IV, 176 (Rolls series): « nisi *pari* suo ». Intellige: « pari illorum ».

4. Hoveden, ed. Stevenson, IV, 176.

5. Hoveden, *ibid.*; cf. *Rot. litt. pat.*, 9 oct. 1201.

comite Ademaro societatem inivit [1] peropportunam, quippe quae Lezinannorum latera facile urgeret; deinde Andeliacum repetiit [2]. Intervallo tamen haud ita longo interposito, ipse per praecones ab Augi comite Radulpho missos provocatur [3], unde novum, priore periculosius, bellum agi cœptum est.

Interea Francorum rex Philippus, cum Lezinannorum precibus facilem, ut aequum est, aurem praebuisset [4], Johannem ut vassallum suum monet, ad judicium de Pictavorum appellatione accipiendum in curia Parium Franciae adsit; recusantem vero pro felone habet, ideoque statim Cenomanniae fines ingreditur, atque oppidum Ballon nomine expugnat; tum, seu hieme impeditus, seu novis de pace colloquiis intentus fuerit, exercitum dimittit [5].

Etenim totam hiemem anni 1201-1202 continuis inter utrumque regem legationibus absumptam esse satis compertum est: hoc enim nos Innocentii III epistolae ad Johannem Philippumque 31° die octobris 1203 missae, hoc Rigordi atque Armorici chronicon, hoc Radulfi Coggeshalensis historia docent. Johannes vero ad se ab Anglia Cantuariensem archiepiscopum, atque Eliensem, Sarisberiensem, Londiniensem, Norwicensemque episcopos, et sancti Edmundi, Westmonasterii, Theokesberiae abbates

1. *Rot. litt. pat.*, 26 sept.; cf. Rymer (ed. 1816) ad eamdem diem.

2. 23 oct. 1201. Hardy, *Itiner.*, *loc. cit.*

3. *Rot. litt. pat.*, p. 2; oct. 1201; sine die et sine loco. « Non ob culpam nostram, ait Johannes, sed ob culpam suam et superbiam ».

4. Alteram redintegrati belli causam profert chronicon quod *Hist. des ducs de Normandie et des rois d'Anglet.* editum a Fr. Michel (*Soc. Ant. de Norm.*, 1845), p. 132 : nempe Johannem a Philippo per Blanchiam Ludovici uxorem Lutetiae rogatum esse ut Francorum regi omnem Normanniae partem cis Andellam fluvium positam concederet, eumque, timentem ne a Philippo detineretur, primum annuisse, tum promissa exsequi recusavisse.

5. Lecointre-Dupont, *loc. cit.*, p. 183. Ballon, Sarthe, arrondissement Le Mans.

arcessiverat[1]; quorum consiliis fretus, cum, redeunte vere, opportunum bello gerendo tempus instaret, Angliae rex cum Philippo, octavo die kal. apr. (25 d. mart. 1202) in loco qui nunc dicitur Le Goulet, colloquium habuit. Sed non jam is erat Philippus qui cum vetere amico socioque aequis legibus pacisci vellet; verumenimvero irati domini minantisque judicis animum gerens, Johannem « sicut suum ligium » jubet Arturo « universas terras quas tenebat in partibus transmarinis, Normanniam videlicet, Turoniam, Andegaviam et Pictaviam » restituere, abnuentique indicit ut « in quindena Pasche » (circa diem vicesimum octavum aprilis, hoc est post quadragesimum a citatione diem) Lutetiam veniat « super his que rex Francorum adversus eum proponeret sufficienter responsurus ». Johannes autem[2] promisit « quod super his omnibus mandato curie domini sui se supponeret », seque duo oppida, Tilerias et Botavant fidei datae pignora Philippo traditurum pollicetur. Ille tamen pacto non stetit; et, cum legati a Philippo missi venerunt qui promissa oppida exposcerent, portas clausas murosque praesidiis munitos repererunt[3].

Igitur deliberandi tempus aberat; itaque Philippus, cum repudiata Agnete in gratiam cum Ecclesia tandem rediisset[4], atque ab Innocentio rogaretur ut Othoni Germaniae regi auxilio veniret[5], occasionem quam opportunissimam

1. Rad. de Diceto, apud *Rer. gall. Script.*, XVII, 660.

2. « Post multos defectus » addit unus e codicibus quibus G. Armorici chronicon continetur. Delaborde, p. 207.

3. Rigord, *Rer. gall. Script.*, XVII, 54; Delaborde, 151. Wendover-Paris, II, 477; cf. Rad. Coggesh, p. 136.

4. Delisle, *Catal.*, n° 667 et p. 502.

5. Potthast, *Reg. pontif.*, n° 1649. Cf. Ed. Winkelmann, *Philipp von Schwaben und Otto IV von Braunschweig* (2 vol. 1873-1878), I, 279. Winkelmannius putat Johannem propter Arturi necem *anno 1202* perpetratam damnatum esse. Cur Othoni infensus fuerit, acerbissimis verbis papam Philippus ipse monuit : « Ceterum noveritis quod omnibus illis confederari de jure possumus qui regem Othonem inquietant et ei adversantur. Idem enim Otho, dum esset comes Pic-

ratus, sententiam quae tam diuturnae liti finem faceret, a Paribus Franciae petiit. Quale autem judicium essent laturi, in dubio non erat; ideoque « curia regis Franciae, ait Radulfus Coggeshalensis, adunata adjudicavit regem Anglie tota terra sua privandum quam hactenus de regibus Francie ipse et progenitores sui tenuerant, eo quod fere omnia servitia eisdem terris debita per longum jam tempus facere contempserant, nec domino suo fere in aliquibus obtemperare volebant [1] ». Ita Johannes majorum suorum superbiae suaeque inconstantiae poenas luebat.

Quod si quis quaerat quonam tempore judicium habitum sit, ego ipsum constituti vadimonii diem, h. e. vicesimum octavum aprilis diem (1202), non multum a veritate distare opinor. Patentes enim litterae nobis praesto sunt, quibus Johannes « fidelibus suis » undecimo maii sequentis die mandat [2] ut Cantuariensi archiepiscopo atque Elyensi episcopo « qui portaverunt verba de quibus tractabatur inter ipsum et regem Francie » fidem adhibeant. « Ipsi autem vobis exponent quantam humilitatem et quantam mensuram ei obtulimus, et quantam et qualem in eo invenerunt superbiam, et *qualiter contra formam pacis inter nos et illum facte et firmate manifeste venit.* » Quae verba recte, mea sententia, interpretati Rigordus, Armoricusque

tavie (1196-1197), terram nostram et ecclesias terre nostre combussit et depredatus est, nec inde nobis postea satisfecit, neque nos treugam aut pacem post illa malefacta ad ipsum habuimus, et quando cum Johanne rege Anglie pacem fecimus (1206; Delisle, *Catal.*, 1006) ipsum a pace illa exclusivimus. Unde mirari non debetis si nos ipsum odio habemus, quia solus Deus nobis potest inspirare ut malefactores nostros diligamus ». (Circa annum 1206 aut 1207). Delisle, *Le premier registre de Philippe-Auguste,* p. 46 v°.

1. P. 136.

2. Hardy, *Rot. litt. pat.*, p. 10; cf. Rymer, perperam ad annum 1201. Cum enim litterae « apud Pontem Arch. » datae sint, monet nos Johannis Itinerarium regem undecimo die maii 1201 Porcestrie (Porcester) in Anglia fuisse.

et Radulfus narrant Philippum, nulla interposita mora, « curie sue judicium gratanter acceptantem et approbantem[1] », coacto exercitu impetum in Normanniae fines fecisse. Forsan et aliquod certius docebit nos charta quaedam, inter quatuordecimum et tricesimum aprilis diem (1202) confecta, qua Philippusse filiam suam Mariam Arturo comiti uxorem daturum esse promittit[2]; quippe ex his nuptiis, quae adolescentem quindecim annos natum cum puella poene infanti junxissent[3], Philippus nullum alium fructum in praesentia percipere poterat quam firmiorem cum Britonibus aliisque occitanis proceribus Arturo faventibus societatem; itaque utilitas, non cupido, matrimonium suaserat. Quae cum ita sint, nonne jure putamus Philippum filiam suam, eo ipso tempore cum, post sententiam in Johannem latam, bellum immineret, Britanniae comiti promisisse? Quod si hoc mihi concesseris, in illo quoque, ut spero, consenties, judicium in posteriore aprilis parte habitum esse, nec quidquam obstat quominus octavum et vicesimum hujus mensis diem approbemus.

Quinam fuerint in hac gravissima causa judices sciscitanti haud ita facile est respondere. Jam primum inane illud Duodecim Parium simulacrum dimoveamus. Satis enim notum et probatum est nullo modo fieri potuisse ut anno 1202 illi sex laici pares, quorum nomina praeferuntur, Lutetiam una convenirent[4]. Quinimmo illud constat Duodecim Pares Franciae eo tempore nondum creatos

1. Rad. Cogg., *loc. cit.*
2. Delisle, *Catal.*, n° 726. *Le premier registre de Philippe-Auguste*, p. 54.
3. R. Coggesh : « Arthurus comes Britannie militaribus armis a rege Philippo decoratus, cujus filiam parvulam affidaverat, ipse jam sexdecim annorum etatem habens ». *Rer. gall. Script.*, XVIII, 95. Arturus enim anno 1187 paulo post Galfridi patris necem natus erat.
4. Pardessus, *Bibl. Ec. des Chartes*, ser. 2, t. IV, p. 299 et sq.; cf. Beugnot, *ibid.*, V, initio.

esse : qua de re dubitationem, si qua esse possit, plurima auferant testimonia, quae aut apud auctorem saepe laudatum, integerrimum virum Tillettum[1], aut apud egregium virum Ed. Boutaric[2], qui saepe clarum ingenii lumen medii aevi historiae praetulit, collecta facile invenies. Denique, si quis Duodecim Pares, quales Ludovico IX vel Philippo IV[3] regnante exstiterunt, et illos qui eodem nomine appellati forte aut jure in regis curia sederunt, nullo habeat discrimine, hic mihi valde errare videatur. Qui enim hoc insigni titulo posterius gloriati sunt, mero atque, ut ita dicam, vano honore decorati, nihil certi muneris in re publica gerenda inde suscepisse arbitror[4].

Quibus igitur viris curia regis Franciae ad annum 1202 constiterit, aut quis fuerit eorum numerus, nos omnino fugit. Nomina quidem eorum novimus qui hoc ipso anno litem inter vicedominum atque episcopum Catalaunenses ortam in curia regis diremerunt[5]; ea vero nos minime

1. *Recueil des rangs des grands de France* (1606), p. 28 et seq.

2. *Archives du Parlement de Paris*, I, ccxcviii, ccci, ccciii, etc.

3. Cf. litteras quibus Britanniae comes a Philippo IV dux et Par Franciae anno 1297 creatus est : « Nos, attendentes devotionis, fidei, fidelitatis probate constantiam... J. ducis Britannie,!... considerantes insuper quod *duodecim Parium, qui in predicto nostro regno antiquitus esse solebant,* est adeo numerus diminutus quod antiquus ejusdem regni status, diminutione hujusmodi deformatus, multipliciter deformatur ... » Selden. *Titles of honour*, p. 438.

4. Cf. D. Brial : « Disquisitio de origine Pareriarum Franciae, et de institutione Parium ». *Rer. gall. Script.*, t. XVII, Praefatio.

5. Boutaric, *Archives du Parlement de Paris*, p. ccxcviii : « Diem eidem (Cat. viced.) assignavimus Parisius super audiendo judicio de jure quod in regalibus illis dicebat se habere ; et ad diem illum convocavimus sapientes homines nostros : Belvacensem, Parisiensem, Meldensem episcopos, et alios viros literatos : Lotharium Cremonensem, Ranulfum archidiaconum Bituricensem, mag. Galfridum de Pissiaco, mag. Nicholaum de Carnoto ; convocavimus etiam barones nostros : comitem Bellimontis (Franciae camerarium) comitem Pontivi, Simonem de Monteforti, Guillelmum de Barris, Guillelmum de Gallanda, Galterum camerarium nostrum, B. de Roia, Ph. de Liviis, Nicholaum Catum, qui, facta diligenti inquisitione, librato diu con-

juvant, cum illud compertum sit non certos viros solere tertii decimi saeculi initio in ejusmodi curia adesse. Mutata enim lite mutabantur judices, nec facile putaveris eosdem fuisse qui tum in ordinanda Catalaunensis vicedomini causa, tum, cum de punienda potentissimi principis felonia ageretur, regio tribunali assedissent.

Nunc quibus de rebus in curia Parium Franciae disceptatum sit, non longum est disserere. Quod si Johannes adfuisset, non uno tantum die res acta esset, cum materiam tam amplam tamque diversam rex iste accusatoribus praebuisset. Non solum enim Isabellam sponso abreptam, justitiamque Pictaviae baronibus negatam, sed etiam res a Philippo rege saepius repetitas, castella expugnata terrasque vastatas [1], Aquitaniae, immo Normanniae duci procul dubio crimini vertissent. Contra Johannes, non semel in jus vocatus, aberat. Hoc verum crimen, haec vera damnationis causa; nec multas rationes in curia regis, ut opinor, proponere necesse fuit. Non enim injurias a Johanne admissas punire, sed spretum jus feodale ulcisci feodales judices Philippus jubebat. Nemo enim negat illud feodali lege decretum esse : Si quis vassallus domino suo seu in bello, seu in curia servire sine justa et idonea excusatione omiserit, eum posse parium suorum judicio feudis privari [2].

silio, judicaverunt vicedominum Cathalaunensem nihil habere juris in regalibus nostris, hiis quatuor rationibus que secuntur ».

1. Vide Innocentii III ad Johannem epistolam (31 octobr. 1203) : « Cum hominibus qui spectant ad feudum ejus, castella et terras suas (i. e. Philippi regis) sine ratione, pro motu voluntatis proprie abstulisses ipse tanquam superior, spoliatorum querela pulsatus, tibi ... sepe precepit ut hoc faceres emendari ... ». *Rer. gall. Script.*, XIX, 444.

2. Vide Brussel, *Nouvel usage général des fiefs*, I, 164 ; D. Brial, *Rer. gall. Script.*, XIV, praefatio, p. xlij et seq ; Luchaire, *Histoire des instit. monarch. de la France*, I, 272 ; II, 11. Non tamen pro sincero habendum esse arbitror exemplum quod Luchaire ab Arbois de Jubainville (*Hist. des comtes de Champagne*, III, 29), mutuatus est ; in quo, postquam Henrico Plantagenet Alienor nupserat, videmus eum a

Cur ea lex contra praecipuos Franciae barones, qui saeculo duodecimo plus rege ipso interdum valebant, raro lata sit facile intelligere est; lex tamen ita vigebat, ut Philippi Augusti manu emissa, non jam « telum imbelle sine ictu » foret.

Hic demum operis mei terminus est. Sententia enim dicta, Philippus, collecto exercitu, et Britanniae, Andegaviae, Pictaviaeque procerum auxiliis innixus, in provincias Johanni adhuc subditas, jure autem suas, alacriter irruit; quod bellum non hic locus est enarrare. Non tamen hoc animo decertatum est ut, missis invicem oratoribus, Johannes Philippusque colloquiis abstinerent. Illud tantum ad lectoris mentem veniat, quod apud Matthaeum Parisiensem legitur[1] : mortuo Arturo Johannes « nuncios solempnes et prudentes » Francorum regi « propter restitutionem » miserat, qui Philippum rogarent ut Angliae regi « provideretur salvus conductus. Et respondit rex, sed non sereno vultu nec corde : Libenter, in pace salvo veniat ! — Et episcopus : Domine, et redeat ? — Et rex : Ita sit, si parium suorum judicium hoc permittat. — Et cum supplicassent omnes nuncii regis Anglie ut liceret ei salvo venire et redire, rex Francorum iratus cum jurejurando solito respondit : Per sanctos Francie, non, nisi mediante judicio ! »

Ludovico VII Francorum rege ideo in jus vocatum, quod Henricus rege domino superiore non assentiente uxorem duxisset. « Louis VII, ait A. de J., suzerain de l'Aquitaine et du Poitou, était fondé à faire déclarer par sa cour Henri Plantagenêt et sa femme déchus de tous droits sur l'Aquitaine et le Poitou. Il fit citer ce jeune duc qui refusa de se justifier [et qui fut condamné par défaut ; la sentence déclarait confisqués les biens qu'il tenait du roi de France] ». Henricum in jus vocatum ad curiam regis non venisse nonnullis testimoniis compertum est; sed quo fonte defluant verba quae ansulis comprehendi, non in eo sum, post multas investigationes, ut significem. Quemadmodum res verisimilis est, ita non est probata.

1. Ed. Luard, II, 658.

Sententiam igitur in absentem latam Philippus jure dictam esse ducebat[1]; praesenti tamen jus reddere non recusabat, ea vero lege ut Johannes omni spe exteri auxilii destitutus, innocentia tantum, si innocens esset, defensus, justo foro adesset. Dura lex, sed lex.

1. Sententiam jure dictam esse et Ludovicus IX censebat, non tamen sine quibusdem conscientiae animis. Cf. Bémont. *Simon de Montfort*, p. 180.

# POSITIONES.

Plerique eorum qui Johannem sine Terra propter necem Arturi Britanniae comitis a curia Francorum regis capitis anno 1203 damnatum esse arbitrati sunt, duo praecipue produxere testimonia, quorum unum est epistola abbati et conventui Sancti Augustini Cantuariensis a Ludovico Philippi filio scripta, alterum autem libellus in quo procuratores ab eodem ad romanam curiam missi quid egerint audierintve retulerunt. Quam mereant fidem igitur inquirendum erat.

Illud primum compertum est nullam de hujusmodi sententia neque in summi Pontificis epistolis, neque in chartis regum, neque in quovis chronico ante annum 1216 exarato, fieri mentionem. Contra haec omnia testimonia opponitur una Ludovici affirmatio, quae deinceps apud omnes fere auctores plurimum, sed immerito valuit, quia Ludovicus ambigua quaedam, pleraque falsa dixisse facile convincitur.

Quin etiam quo consilio tam impudenter mentiri et coram Innocentio papa ausus esset, plane intellectum est. Ludovici enim, cum hinc in Angliam a baronibus Johanni infensissimis vocaretur, illinc vero ab Ecclesia vassallum suum defendente impediretur, permagni intererat ut homines crederent capitalem sententiam in Arturi interfectorem esse latam.

Ludovico igitur nulla fides adhibenda est, sed cum ceteris testibus hujus temporis aequalibus illud putandum, nempe Johannem anno 1202, vicesimo octavo aprilis die, a Paribus Franciae (non autem a Duodecim Paribus) « pro defectu servitii » jure damnatum esse.

## APPENDIX PRIOR

*In qua codex Cottonianus Julius D II describitur.*

Codex olim Cottonianus, hodie in Britannico musaeo Londiniis asservatus, qui Julius D II inscribitur, primum, ut ex ipso titulo apparet[1], monasterii Sancti Augustini fuit. Codex membranaceus est, mediocris quidem formae, cum 0,19 cent. altus, 0,135 millim. tantum latus sit, et 264 folia continens. Duae in eo partes, vel potius duo codices admodum dissimiles, sed forte conjuncti reperiuntur; quorum posteriorem (fol. 173-264), utpote qui a proposito meo alienus sit, bona lectoris venia praetermittam. Prior autem septem fragmentis constat, non uno tenore scriptis, sed diversis temporibus quatuor scribarum calamo exaratis. Horum fragmentorum justum ordinem dudum esse immutatum facile ostendunt numeri quibus quaeque pagina signata est; nam triplex numerorum genus inest, quorum unum romanis, ut dicunt, litteris XIII° saeculo, alium XV° s. arabicis, tertium vero recentissime eo quo nunc utimur modo, distinctum est. Tabula autem quae sequitur, ostendit qualis sit novus, qualis autem antiquus fuerit codicis nostri ordo :

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Frag. | 1, | hodie fol. | 1- 23, | olim | 183-205 = | VI. |
| — | 2, | — | 24-133, | — | 17-126 = | I. |
| — | 3, | — | 134-154, | — | 206-226 = | VII. |
| — | 4, | — | -156, | — | -180 = | V. |
| — | 5, | — | 157-161, | — | 175-179 = | IV. |
| — | 6, | — | 162-164, | — | 127-129 = | II. |
| — | 7, | — | 165-172, | — | 167-174 = | III. |

1. *Registrum cartarum monasterii sancti Augustini Cantuariensis.* Cf. Planta, *Catalogue of the cottonian mss.* London, 1802, fol.

Quo in loco et cujus scribae calamo Ludovici litterae sint perscriptae, nunc inquirendum.

Ex his quae in fragmento I (olim fol. 17-126, hodie 24-133) continentur, illa tandem dinumerabo quae ab antiquissimo scriba, quem A nominabo, transcripta sunt :

1° Regula Sancti Benedicti (foliis nunc 24-29).

2° Privilegia monasterio Sancti Augustini Cantuariensis a Summis Pontificibus concessa, ab origine, usque ad illam quae inscribitur : « Sententia diffinitiva pro abbate sancti Augustini contra Willelmum clericum de ecclesia de Chistelet. » Eadem data est : « Actum anno gracie M.CC.XXX.III., pontificatus domini Gregorii pape noni anno VII, die lune proxima post festum sancti Leonardi, in ecclesia sancti Pauli Londinensis. » (= 8 nov. 1233.) Fol. 69 *r.*

3° Privilegia eidem monasterio ab Angliae regibus concessa, usque ad chartam ab Henrico III 18° die febr. anno regni ejusdem undecimo (1227) concessam. Fol. 84.

4° « Formulae processuum monasterii in civilibus negotiis[1] »; quae his terminantur verbis : « si quis in negocio agendo minus se allegasse crediderit, litigator quod minus actum est in negocio coram eo ad quem provocatum est, vel qui de appellatione cognoscit, prosequatur. Explicit. » (Fol. 121 *verso.*)

5° Tum, nullo interposito intervallo, ne ulla quidem nos praemonente sententia, legitur : « *He littere misse sunt statim post ingressum domini Ludovici in Angliam...* » (Vide inferius, pag. 65).

6° Fol. 122 *r.* Sequuntur « Carta de libertate tocius Anglie..... Datum apud Westmonasterium 11° die febr. anno regni nostri nono » (1225). Fol. 124 *r.* « Carta regis Henrici filii Johannis regis, de boscis, de forestatis totius Anglie » (1225); plurima denique instrumenta seu monasterii negotia, seu causas in regis curia ordinatas spectantia,

1. Planta, *loc. cit.*, n° 7.

quorum recentissimum anno Henrici septimo (1232-1233) confectum fuit ; etc.

In fragmento II (olim fol. 127-129; hodie 162-164), scriba noster transcripsit « Constitutiones capituli generalis. De Evesham et de Abendon Dei gratia abbates universis prelatis et subditis communis capituli monachorum in provincia Cantuariensi constitutis, salutem. Anno Incarnacionis dominice, M.CC.XXXV, in die sancti Mathei apostoli, in monasterio sancti Andree apostoli apud Norhampt. celebratum fuit capitulum... »

Frag. III (olim 167-174; hodie 165-172) ; « Incipit libellus cujusdam sapientis et, ut fertur, beati Columbani » (scribae nostri manu). « Incipiunt statuta Stephani Cantuariensis archiepiscopi in sinodo, de irregularitatibus que indigent dispensatione » (ab alio quodam scriba).

Fragmentum IV continet libellum de visitatione monasterii sancti Edmundo atque abbatiae Westmonasteriensis anno 1234 jussu Gregorii IX papae facta, quem A noster perscripsit.

Quemadmodum in Fragmento I, ita in fragmento VI[1] (fol. olim 183-205, nunc 1-23), illa tantum referam quae ab eodem scripta sunt :

1° Catalogus regum Angliae, ab Ethelberto ad Henricum III ; ut vero scriba noster quamdiu horum quisque vixerit studiose memorat, ita quo tempore mortuus sit Henricus, idem nescit.

2° Catalogus archiepiscorum Cantuariensium a sancto Augustino, usque ad Edmundum anno 1234 creatum[2].

3° Catalogus abbatum S. Augustini Cantuariensis usque ad Hugonem III[3].

1. In Fragmento V dinumerantur Indulgentiae quas « universis peregrinis ad ecclesiam beati Petri devote accedentibus... de injunctis penitentiis beatus Gregorius misericorditer relaxavit. »

2. Stubbs, *Registrum sacrum anglicanum*, p. 40.

3. Quo tempore Hugo III mortuus sit in dubio est; ejus autem suc-

4° Tabulae chronologicae, ab anno incarnati Verbi usque ad Henrici III regnum; ultimo enim scriba noster memorat incursionem in francicos fines ab eo rege (anno 1230) factam, Guillelmi marescalli (1231) et Ricardi Cantuariensis archiepiscopi (3 aug. 1231) mortem.

5° Catalogus paparum usque ad Gregorium nonum, qui quo tempore mortuus sit[1] scriba noster ignorat.

7° Catalogus romanorum imperatorum usque ad Fredericum II.

De fragmento VII (fol. 134-154, olim 206-226) pauca dicenda sunt, cum scriba noster nota quaedam de legibus Angliae, de monetis, de assisis, etc., disseruerit.

Quid igitur ex his omnibus et singulis argumentationibus concludendum est? Illud profecto constat eam cottoniani codicis partem quae ab antiquissimo scriba digesta est, anno 1235 perscriptam esse; tum litteras a Ludovico ad abbatem conventumque sancti Augustini Cantuariensis missas ante hunc eumdem annum esse confectas. Quae cum ita sint, nihil obstat quominus earum auctorem Ludovicum vere fuisse putemus.

cessorem, Robertum nempe de Bello (Battle) indicat ad annum 1237 Dugdale, apud *Monasticon Anglicanum*.

1. Obiit undecimo die Kal. sept. (22 aug.) anno 1241.

## APPENDIX POSTERIOR

*In qua Ludovici litterae, e codice Cottoniano Julius D II transcriptae, iterum eduntur.*

He littere misse sunt statim post ingressum domini Ludovici in Angliam[1]. (*Rubrica.*)

Ludovicus domini regis Francie primogenitus, abbati et conventui sancti Augustini Cantuariensis[2], salutem et sincere dilectionis affectum.

Ne quis in facto nostro de regno Anglie simplicitatem vestram per falsas circumveniat[3] suggestiones, vel[4] conscientias vestras contra nos reddat scrupulosas, nudam et veram rei veritatem ad universitatis vestre notitiam volumus pervenire.

Nostis itaque quod propter proditionem notoriam[5] quam Johannes quondam rex Anglie commisit contra fratrem suum regem Richardum, dum esset in partibus Ierosolumitanis[6], in reditu ejusdem fratris sui legitime fuit citatus, accusatus, et in judicio coram paribus suis et per eos legitime tanquam proditor condemnatus; que sententia condemnationis per os Hugonis de Puisat[7] tunc episcopi Dunhelmensis[8] fuit solempniter promulgata. Unde, mortuo rege Richardo, devolutum

1. Bouquet, *Rer. gall. Script.*, XVII, 722 : Epistola Ludovici ad abbatem et conventum sancti Augustini Cantuariensis. — Rymer (ed. 1816) : Litterae Ludovici, regis Franciae primogeniti, de jure suo ad regnum Angliae, post obitum regis Ricardi I (*sic*).
2. Ms. Cantuar'. Bouquet : Cantuariæ; Rymer : Cantuar'.
3. Rymer : circumveneret (*sic*).
4. Bouquet : ut.
5. Rymer : notariam (*sic*).
6. Bouquet : Jerosolymitanis.
7. Rymer : Pudsat.
8. Bouquet : Dunelmensis. Rymer : Dunelm'.

est jus regni Anglie ad reginam Castelle et heredes suos, que sola tunc de omnibus fratribus et sororibus suis superstes fuit preter predictum[1] Johannem. Ipsa autem regina et heredes sui jus quod habuerunt in regno nobis et filie sue, quam habemus uxorem, liberaliter concesserunt, propter quod Hubertus quondam Cantuariensis archiepiscopus in coronatione ipsius Johannis publice dixit quod non ratione successionis sed per electionem ipsum in regem coronabat. Ipsa[2] autem electio vel coronatio qualiscumque[3] nobis non prejudicavit, tum quia per violentiam facta fuit, tum quia jus quod habuimus nobis sine culpa aut consensu nostro auferre non potuit.

Preterea satis notum est quomodo[4] de murdro Arturi nepotis sui in curia karissimi[5] domini regis Francie, cujus ambo erant homines ligii, per pares suos citatus, et per eosdem pares tandem fuit legitime condempnatus; quod quidem murdrum ejusdem temporis pluribus in Anglia et pluries predictus Johannes est confessus; per quam condempnationem bona sua, ubicunque essent aut undecunque ea haberet, per usitatas consuetudines forisfecit; et tunc iterato nobis tanquam vero heredi cessit jus regni Anglie, maxime cum adhuc de carne sua heredem non haberet. Nos vero pro jure nostro extunc eidem Johanni gwerram[6] movimus, quam contra ipsum continuavimus absque omni interruptione, pace vel treuge (*sic*)[7] usque ad dies istos. De guerra[8] enim que postmodum inter karissimum[9] dominum et genitorem nostrum et ipsum facta fuit, nec fuimus requisiti, nec alium requisivimus, licet pre-

1. Bouquet : dictum.
2. Ibid. : Illa.
3. Rymer : qualitercumque.
4. Bouquet : quoniam.
5. Ibid., carissimi.
6. Bouquet : guerram.
7. Bouquet recte, ut opinor, corrigit : absque omni interruptione, pace vel treuga. Forsan et sic corrigi possit : « sine interruptione pacis vel treuge. » — Rymer : « absque omni interruptione, pace vel treuga... usque ad dies istos. »
8. Rymer : gwerra.
9. Bouquet : carissimum.

sentes essemus; unde nec crucis assumptio, nec aliqua conditio postmodum lite pendente suscepta potest[1] ipsum tueri, quin contra ipsum jus nostrum prosequimur[2].

Ad hoc[3], cum prefatus Johannes in coronatione sua solempniter, prout moris est, jurasset se jura et consuetudines ecclesie et regni Anglie conservaturum, contra juramentum suum, absque consilio vel consensu baronum suorum, idem regnum quod semper fuit liberum, quantum in ipso fuit, domino Pape subjecit et fecit tributarium, bonas consuetudines subvertens, malas inducens, tam ecclesiam quam regnum multis oppressionibus multisque modis studens ancillare, quas oppressiones vos melius nostis quam̃ nos, ut qui eas familiari sensistis experimento.

Pro quibus[4], cum post multas requisitiones guerra mota esset contra ipsum a baronibus suis[5], tandem inter cetera de ejus expresso consensu ita convenit quod, si idem Johannes ad flagitia priora rediret, ipsi barones ab ejus fidelitate recederent, nunquam ad eam postmodum reversuri; verum ipse nichilominus, paucis diebus evolutis, fecit novissima sua pejora prioribus, studens barones suos non tantum, ut prius, opprimere, sed potius penitus exterminare; qui, de communi regni consilio et approbatione, ipsum regno judicantes indignum, nos in regem et dominum elegerunt; unde apparet quod, sive ad successionem sive ad electionem habeatur[6] respectus, nos potissime jus in regno Anglie habemus.

Nos autem cum istis et aliis rationibus ad dominum papam solempnes nuncios nostros dudum destinavimus; et, audientes interim quod cardinalis quidam, Walo nomine, veniret in Franciam, misimus ad eum, rogantes ne contra nos aliquid statueret, donec nuncii nostri a curia romana redirent, aut a

1. Ms. : pot̄; Bouquet : potuit; Rymer : poterit.
2. Bouquet : prosequamur.
3. Bouquet : haec.
4. Bouquet addit : omnibus.
5. Bouquet : Pro quibus omnibus, post multas tergiversationes, cum guerra mota esset contra ipsum... — Rymer : Cum per multas requisitiones guerra mota esset.
6. Rymer : habetur.

domino papa novum reciperet mandatum, postquam nuncios nostros audivisset; et cum jam idem cardinalis ad dominum nostrum et genitorem regem Francie accessisset, idem in presentia prelatorum et magnatum Francie fecimus dici coram nobis, expresse jus et propositum nostrum protestantes; ipse autem cardinalis tunc contra nos in nullo processit, nec visus est velle procedere. At nunc, in Angliam ingressus, suggestionibus et muneribus inimicorum nostrorum invitatus[1], nos et nostros, ut audivimus, per prelatos et officiales ecclesiarum intendit gravare.

Quapropter vestram attente rogamus discretionem quatinus, sicut ad libertatem ecclesie et regni Anglie venimus, ut videlicet tam regnum quam ecclesiam antique et debite, per Dei gratiam, restituamus libertati, propter nullius[2] falsam suggestionem vel iniquam jussionem non velitis nos turbare, vel bonum nostrum et pium propositum et commune bonum Anglie impedire, nec aliquid contra nos vel nostros, nobis[3] irrequisitis, promulgare; indubitanter scituri quod, qui bona fide in hac parte nobis assistent, perpetuum nos amicum contra quemlibet habebunt et defensorem, nec pro lucro vel dampno ei aliquo unquam tempore deerimus; illi vero qui secus egerint, nos perpetuum sentient inimicum.

1. Bouquet : immutatus.
2. Bouquet : ullius.
3. Rymer : vobis.

Vidi ac perlegi Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. XII kal. febr. ann. MDCCCLXXXIV.

*Facultatis litterarum in Academia parisiensi Decanus,*
A. HIMLY.

Typis mandetur.

*Academiae Parisiensis rector,*
GRÉARD.

Chartres. — Imp. DURAND Frères, rue Fulbert.

CHARTRES. — IMPRIMERIE DURAND FRÈRES, RUE FULBERT.